28

I. PHILIPPI SLEVOGTII,

D. Illuſtr. Regiminis Ienenſis
Aduocati ordinarii,

EPISTOLA

Ad conſultisſimum virum
GERHARDVM PFANKVCHIVM,
De
AEquitate Retorſionis iniuriarum,

Tractatui contra magnificum Iureconſultum
GEORGIVM ADAMVM STRVVIVM
diuulgato, oppoſita.

EDITIO MELIOR ET AVCTIOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IENAE, cIↄ Iↄc LXXVIII.

Ex officina NISIANA.

9

NOBILISSIMO CONSVLTISSIMOQVE
VIRO
GERHARDO PFANKVCHIO
Diuerſorum S. R. I. Comitum Conſiliario, & ad Ratisbonenſia Comitia Legato,
I. PHILIPPVS SLEVOGTIVS
FELICITATEM!

QVam iterum iterumque tam publice, quam priuatim minatus fuiſti refutationem magnifici Viri, GEORGII ADAMI STRVVII, Sereniſſimorum Ducum Saxo-Vinarienſium Conſiliarii intimi, Iureconſulti & in Academia noſtra Anteceſſoris longe celeberrimi; ea nuper demum Francofurtenſibus nundinis aſpexit lucem, tantaeque intercapedinis moram prolixitate ſua luculenter penſauit. Intuentibus autem tituli & vniuerſae tractationis argumentum, haud alia conſilii tui ratio apparet, quam vt *Retorſiones verbalium*, quas vocant, *iniuriarum* manifeſtae deferres iniquitatis, nec diuinis tantum legibus; ſed Chriſtianae cumprimis charitati prorſus aduerſari contenderes. Inſigni profecto pietatis, magnaeque ad inuidiam ſapientiae documento. Nam ad comparandam hanc laudem nihil opportunius erat, quam ſi compoſitam, vt videbatur, litem retractares felicius, totque viros eruditiſſimos, tot ſapientiſſimos

legumlatores vnus omnium meliora doceres. Neque enim ſingularis vel magnifici STRVVII; vel paucorum ex litteratis opinio eſt, quam tantis nixibus impugnas; ſed conſuetudo iudiciorum, & tacitus ſummae poteſtatis conſenſus, eam publice dudum recepit ac confirmauit. Quin ſolenni & Electorali nuper Deciſione permiſſum hoc defenſionis genus fuiſſe, ignorare non potes, qui tam ſollicite, quidquid argumenti huius videbatur, congerendo, facile nobis perſuades, variae te lectionis laudem non in minimis ponere. Quare multum omnino ac publice intererat, vt intelligerent aliquando errores ſuos; ne dicam crimina; quotquot peſtilens malum, & *diabolicam* (vt tibi audit) *retorſionem* temere adeo admiſere.

Sed Principibus ſummis non deerunt forte rationes, quibus conſilia ſua& ſanctiones imprudētiae aut impietatis abſoluant. Neque enim deſtituuntur ingentibus viris, quorum cordata & febriculoſa minime eruditio, quorum ſublimitas ingenii, & iudicii rectitudo, paucorum perſuaſiones parum morantur. vnde adeo nec quaerunt anxie, cuius defendantur opera: & ſubtiliſſimum plane ducunt, contemtu ſolo Gordios id genus nodos diſſoluiſſe. Tu igitur VIR nobiliſſime, cautius Principum limina deuitans

Vbi, ſi quid bene praecipias, nemo obtemperet,

vnum praecipue, illumque inſignem inter principes Iureconſultorum, deligere praeoptaſti, cui animoſius paullo mentem tuam, quamque confuſa in praeſenti argumento fluctuaret, exponeres. Neque id vana, puto, contendendi libidine ac ambitione; ſed vt fortaſsis magnitudine STRVVIANI nominis Tu iuxta ſecerni populo ac euehi ad immortalitatem posſes.

Quam-

Quamquam vero excellentiſſimus Iureconſultus ſperabat fore, vt ipſe olim tuas diſpelleres tenebras, confirmatoque magis iudicio inanes eſſe agnoſceres ac fatereris: ne tamen offunderentur eaedem hebetioribus oculis, immittendus quaſi dies,& veritati lux ſerenior circumfundenda erat. Itaque mihi prouinciam hanc detulit ac reliquit, quem liberaliore perfrui otio, & iuxta paratum ad explicandam ſententiam ſuam ſciebat. Cuius maximi viri nomen vt pariter mecum venereris; ita nec iudicium eius,nec meum obſequium aſpernari potes. Qui ſi penitius me perſpectum habeas, neque detrectes animi noſtri candorem atque modeſtiam; & inhumanum ſtatuas,operam meam, celeberrimis alias viris non improbatam, apud te obſcuritatis opinionem deprecari oportere. Quare ad rem ipſam potius accingamur. Erit autem non vera tantum ac ſolida; ſed ſobria quoque, & digna Legati atque Politici auribus ſcriptura noſtra: ne monſtroſa oratio ſimile arguat ingenium, & foetore verborum atque frigidisſimis ſenſiculis, taedium ac miſericordiam potius, quam gratiam excitemus.

(I)

In rem ipſam ingresſus. Aduerſarii laus: & oppoſita eius modeſtia nuperi ſcriptoris maledicentiae. Retorſionis definitio; antiquitas; incrementa. An fundamentum eius aliquod in iure Romano?

Quoties autem inſpicio tractatum tuum, felicis vbique veſtigia memoriae, & colligendi improbum laborem deprehendo. Animi maxime dotes & probitatem

lego: quam cum dictione tua vbique communicaſti. Vt adeo, quantum miramur, te grauiora negotia quaerendis tot floſculis ſententiarum, tot euoluendis legibus atq; auctoritatibus poſthabere potuiſſe: tantum priſcae ſimplicitatis ac innocentiae amorem omnes depraedicent. Licet igitur neque acuminis nec accurationis famam aucuperis: pietas tamen ſola vniuerſas laudis tuae rationes ſuſtinere poteſt. Inde procul perdita illa inſultandi libido; procul infamis illa maledicentia, qua aeterna ſaepe nomina indigniſsime lacerantur. Cuius nuper in magnificum STRVVIVM, recens iuris naturæ ac gentium interpres exemplum dedit. Rapuit enim hominem ardor inclareſcendi ad mordacem ſtylum: vt nobilis ingenii laudem corrumpere ſcommatibus maluerit, quam decenti cultu ingentium virorum meminiſſe. Itaque Andabatarum more feroci calamo paſsim graſſatur, impetens hoſtem, quem nullum inuenit, & confodiens vel dudum exanimatos: quo per vulnera ſuperſtitis famae in memoria litterarum viuat. Hinc neque viuorum, & inter eos, STRVVIANO quoque nomini, pepercit: cui tot meritorum gratam memoriam ac reuerentiam ſummam debebat. Tam animoſa nempe apud nonnullos, & audax res calamus eſt. Intrepide pungit, fodicat, laceſsit, quos contra, præſentes ſi forent, ne oculos quidem ſuſtinerent attollere. Hujus vero commentatoris non videbatur omittenda mentio: vt qualiſcunque modeſtiae tuae comparatione diſcat, indignum Chriſtiano homine eſſe, contemtu aliorum inanem faſtum publice profiteri.

Nunc ad tractatus tui praecipuas partes transeo. Quas initio de vocabulis ac definitione obſeruationes inculca-

culcaſti, ſilentio prudentius transmittam, quam eruditius ad partes vocem. Neque enim poſita in illis reip. ſalus eſt: neque tu, opinor, quod neceſſaria aut digna memoratu cenſeres; ſed quia mos eſt ita ſcribendi, ſcripſiſti. Mihi praeterea muneris tui, & aliorum, qui paginas hasce apud vos fortasſis legent, habenda ratio fuit: ne delicatas Politicorum aures vitreis fractis & interpretamentis Grammaticorum radam.

Per Retorſionem igitur noſtram ſiue *re tributionem contumeliae*, vt a Lactantio lib. VI, Diuin. Inſt. cap. 18, appellatur, ſignificabimus in praeſens *vindicationem priuatam, qua verbis contumelioſis iniuſte laeſi, paria vel in genere vel in ſpecie verba laedenti regerimus, vt honori noſtro & exiſtimationi conſulatur.* Quae ſi tempore debito ac moderamine fiat, legitima & diuturnis moribus comprobata eſt. Longisſimis enim retro ſaeculis in vſu fuiſſe, vt maledicta mendacii accuſarentur, vel in ſuos retorquerentur auctores, petitae e triuio ſententiae docent. Qualis illa eſt: *Qui dicit, quod vult: quod non vult audiet.* Teſtantur quoque prologi Terentiani, qui eumprimis more illo nituntur. Ex Phormione tibi iſta ſufficiant.

Hic reſpondere voluit; non laceſſere.
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene:
Quod ab illo allatum eſt, id ſibi eſſe relatum putet.

Quod adeo ex aduerſariis, quorum opinioni faues, nemo inficias iuit, vt *Rennemannus* quoque fateatur vltro, & exempla in medium proferat. Nec reperias vlla Romanorum lege conſuetudinem hanc diſerte damnatam. Quin contra tolerari non tantum a legislatoribus coepit; ſed approbata poſtmodum tacito eorum fuit conſenſu: vt longo

longo iam tempore vigorem iuris acceperit. Inde factum etiam eſt, vt cumprimis de modo retorquendi in iudiciis cognoſceretur: ſi reuulſos forte limites iuſtae defenſionis, & illatam magis fuisſe, quam propulſam iniuriam appareret. Ab eo tempore forma quaſi retorſioni data. Accesſit quoque ſingulare genus retorquendi per litteras, ſiue inſtrumentum, nusquam expreſſe & vniuerſim a legibus reprobatum. Potius enim firmarunt tot ſententiae iudicum, totque, vt appellamus, praeiudicia, quibus varios caſus compoſitos atque deciſos legimus.

Hinc ego non penetro, cui bono, cuiusque gratia Doctorum de conſuetudine hac teſtimonia depoſcas: qui rudis illarum rerum eſſe nequis, quarum ignorantia in mediocricule doctis caſtigandi cauſa foret. Neque dubitauere vnquam (niſi forte, vtrum communi vſu vbique obſeruetur) qui atrocisſimis modis retorſionem traduxerunt. Nec haberes ipſe, in quod tam iracunde detonares, niſi iudicia morem hunc tolerarent. Prohibita enim publice, & vltore gladio exterminata, non indigent tam operoſa accuſatione. At vero, quae coerceri; quae exſcindi cupias funditus; quae propter abuſum tot malorum fontem contendas eſse, omnino vſu inualuere. Cui ſi nihil reſtitit ſumma poteſtas; ſi potius certam circumdedit formam; ſi nihil turpitudinis vulgo ineſſe putatur; ſi Doctorum calculos accesſiſſe ipſe aſſeris: equidem non poteſt non tacite vim iuris accepiſſe. In hoc igitur expectabas forte auctoritates, quod Iureconſultus erubeſcit ſine illis aeque ac ſine legibus loqui. Cetera, quae de requiſitis conſuetudinis affatim inferſiſti, dignisſima esſent lectu, ſi ſuo quaeque loco ac tempore protulisſes. Nunc ad nos quidem

quidem nihil faciunt: quum ſola conſuetudine haudquaquam retorſionis aequitatem metiamur. Celerius igitur, praeteruectis ad praeſens exemplum aliis digresſionibus, viam conficiemus.

In Romanorum iure nusquam magnificus STRVVIVS dixit manifeſtum retorſionis, qualis hodie eſt, argumentum deprehendi. Simulacra oſtendit ac qualecunque fundamentum; quorum occaſione & exemplo poſtea legislatores conſuetudinem illam admiſere. Quae qui expendere nouerit, L. XXV *de Procuratoribus*, & reliquas pariter non deſideraſſe abs Te noua glosſemata credet. In quarum explicatione quid indignum STRUVIANO iudicio delitescat, nondum vacauit profundius ſcrutari. Hoc ſane certum eſt, conſultisſimum virum cum iſta ſcriberet, fingendi pro arbitrio ac captu libertatem alienis reliquiſſe iudiciis: ipſum ſuo noluiſſe abuti. Et largiamur liberaliter, non tantum non affinem esſe Romanis legibus; ſed repugnare potius retorſionem iniuriarum: ſine iactura tamen aequitatis donamus. Nam exturbare ſtatim e ciuitate mores, quia Iuſtiniano haud placuere, calidi admodum conſilii fuerit. Neque Te fugit quantum haec ratio turbarum datura in Imperio esſet.

§ 2. §

Altius & ex iure naturali ac ſacris litteris repetitur aequitas retorſionis. Qua docendi ratione vti debeamus in tali ſcripturae genere.

Cenſura τῶν ἐκ πεπαιδευμένων. Praemittuntur principia & fundamentum totius diſquiſitionis, atque oſtenditur, ius vindicandi laeſo competere, ſeruandae aequalitatis & amicitia cauſſa, nec non ad coercendam aliorum improbitatem.

Quoniam igitur a Romano iure nec peti vnice retorſionem noſtram, nec deſtrui poſſe conſtat, & conſenſu prudentum pridem iudicatum eſt ac veluti transactum: non diu morabimur tempora noſtra in diſcutiendis, quae ſaltim animo tuo hinc inde videris dediſſe. Conuerto me ad altiora principia, & quantum naturae lumine ac iure diuino; quantum Chriſtiana caritate mos retorquendi nitatur, iam inquiram. Quo labore confido me ita conuulſurum tua argumenta, vt ſuo mox impetu ruant.

Non autem anxie compilabo heic florilegia; non denique confuſum exordiar chaos: qua importuna ſedulitate hodie nonnulli tam infeliciter magna moliuntur, quam procul ab exemplo ſapientum diuertunt. Sine quorum imitatione neque a viuis gratiam; & a poſteritate contemtum expectare debent. Dum enim diſciplinae iuxta inſtructu & naturae dotibus deſtituti, cognoſcere cauſſas rerum neſciunt: non tam ad veritatem, quam ignorantiam & barbariem affectant viam. Crepant naturae, crepant diuina & gentium iura; ſed Brocardi-

cardicis miſerrimis, & mirificis diſtinctiunculis recta etiam detorquentes. Qui tamen ſi Molinam forte & Lesſium, ceterosque paruulos deos, Baldo ſuo ac Bartolo & Carpzouio miſcuerint: tum enimuero ſincerae ac non ſimulatae Philoſophiae Sacerdotes audiunt. Atque olim quidem, apud ſeculum prius, monſtris eiusmodi honor & admiratio fuit. Nam demerſi altisſimis tenebris omnes parum curabant, quibus oculis adſpicerent veritatem; qua methodo; quo ore tandem ac lingua apud ſuos & poſteros loquerentur. Poſtea fortiter profligauit iſtum ſcriendi morem limatior aetas: & hodie aures peruelli omnibus debent, qui exemplo forte nocere in illa litterarum claritate posſunt. Sed coram te, VIR nobilisſime, iam non declamo. Haec quoque poſuimus ad excitanda ingenia illorum hominum: vt melius deinceps praeparent pectus, & noſtra legentes, Brocardicis ſuis, ne ogganniant temere, inficetum os comprimant. Quibus autem ex fontibus praeſens argumentum deducamus, nunc cognoſce & iudica.

Primum igitur certisſima principia, & totius materiae quaſi capita quaedam ſtatuantur. Deinde quae proxime ac necesſario exinde conſequuntur, vt indoles rerum depoſcet, explicabimus. A *vindicatione* initium faciamus: *per quam vis & iniuria & omnino omne, quod obfuturum, defendendo aut vlciscendo propulſatur.* Ita enim Cicero circumſcribit in ſecundo de Inuentione. Hanc ſimpliciter ſpectatam naturae ac diuinis iuribus repugnare, nemo adhuc asſerere ſuſtinuit, niſi ignarisſimus omnium; vel cuius ineptum, aut ſuperſtitioſum, aut malignum ac factioſum iudicium. Quum igitur hactenus

in confeſſo ſit aequitas vindicationis, paucis duntaxat explicatio quaedam addenda erit & illuſtratio: vt cetera, quae tradituri ſumus, plus luminis accipiant, & tanquam prima elementa curioſo ingenio traderemus.

Hominem a natura liberum, & nullius alterius creaturae cauſſa productum eſſe, conſtanter omni aeuo traditum, & a iuniore Philoſophia paſſim repetitum legimus. Illud quoque annotatum eſt, naturam commendare hominem ſibi ipſi quam maxime, vt ſaluti ſuae ſollicite proſpiciat, fugiens ac remouens cuncta, quae mala & ſibi haud congrua videntur. Quumque liber ſit; eum non facile in gratiam alterius facere quidquam aut pati contra voluntatem ſuam debere, exceptis communibus officiis, quae ex humanae ſocietatis natura fluunt. Hinc autem illud manifeſto deducitur: quotiescunque in liberum, ſiue nondum obligatum hominem, & in inuitum ea ſibi quis arrogat, quae iure nullo competunt; ſi ſciens volensque inferat forte damnum; ſi corpus hoſtili animo laedat: hunc agere iniuſte, & in naturam ipſam peccare. Quae quum donata libertate, aequales hac parte voluerit homines, rationem iuſtitiae impugnat, quisquis hoc caſu plus ſibi ſumit (quocunque id modo fiat) nec ſeruat aequalitatem. Quam igitur poteſtatem in alium ſibi arrogauit, eandem in ſe concedit vicisſim, quo adimatur, quidquid plus habet, atque inaequalitas omnis corrigatur.

Ius autem id exigendi, natura laeſo; & eius reſpectu ac nomine aliis, quibus eſſe carus, & a quibus defendi debet, impertiuit. Nam cui libertatis priuilegium, eidem & tuendi iuris ſui poteſtatem voluit indulgere: non tantum vbi arcenda iniuria; ſed vbi iam illata vindicanda

fuerit.

fuerit. Et hoc duabus de cauſſis. Primum enim fixum immotumque ponimus, hominem ad colendam ſocietatem conditum eſſe ac ferri, non tantum explendae indigentiae gratia; ſed vt maximo intellectus bono perfectius vti, & omnis generis virtutes exercere poſſit. Amat igitur ipſa natura ſocietatem, & quaecunque ad eam conſeruandam faciunt, homini ſuppeditat. Contra vero eidem inimica denegat ac tollit. Quumque nulla re magis, quam coniunctione animorum & amicitia foueatur: apparet inde, odio, inimicitia, & illa animorum diuulſione, ipſam ſocietatem diuelli. Quod Ariſtoteles praeclare docuit. Tam enim inſeparabili nexu haec coniuncta ſunt, vt vtrinque & ſtent, & labefactentur. Itaque praecauet natura inimicitiae cauſſas: quod alio pacto finem ſuum ipſa deſtrueret. *Hinc autem* (eloquar verbis Philoſophi) *pugnae & expoſtulationes proficiſcuntur, cum aequales non aequalia, & non aequales aequalia habent.* Quoniam ergo natura aequales qua libertatem homines fecit; quoniam non ipſa iniurias ſtatim vindicat, aut defendendo aut vlciſcendo, ſed lento pede ad vltionem procedit; non poterat omnino prohibere vindicationem: quia ſeruitutis ſpecies eſt, ad perferendum malum adſtringi. Hinc & illud natum eſt: *Si mali compenſatio prohibeatur, ciuitas ſerua; ſi boni, ingrata erit.* Quumque omnis, faciens iniuriam, plus habeat vel habere cenſeatur; minus, qui accipit: prohibita vindicatione, aequalibus non aequalia tribuerentur. Hinc autem querelae, hinc odia, hinc altercationes & mutuae pugnae: inter quas ſocietas nulla diu conſtare poteſt. At indulto pariter hoc iure, vt arcere inuadentem; vt illatam iniuriam vlſciſci ac perſequi li-

ceat: nemo habet qui de inaequalitate queratur. Nam ſi quae ſuboriri poteſt, aut fuit ſuborta; corrigendi eam ius ac poteſtatem in promtu habemus.

Praeter haec natura debebat vindicationem laeſo permittere: *quoniam & diſciplinae intereſt, injuriam vindicari. Metu enim vltionis omnis iniquitas refrenatur. Ceterum paſſim emiſſa libertate, dominabitur, vtrumq; oculũ effosſura, & omnem dentem excitatura prae impunitatis ſecuritate.* Quae Tertull. ad Marcionem verba ſunt. Lactantius IV Epit. *Ira igitur*, inquit *ad coercitionem peccatorum, id eſt, ad regendam ſubiectorum diſciplinam data eſt a Deo: vt metus licẽtiam comprimat, & compeſcat audaciam.* Quae ratio a nobis recte ad vindicationem in genere refertur. Hinc etiam, vt idem habet cap. III, *leges ſibi homines condiderunt pro vtilitate communi, vt ſe interim tutos ab iniuriis facerent.* Licet enim ex gentilibus quoque meliores crediderint, poenas grauisſimas illis deſtinari, qui in naturam malitioſe peccant: id tamen nec perſuaderi facile corruptis animis poteſt; nec validum ſatis improbitati metum incutit. nam quia longius iſtas abeſſe putant, parũ terrentur. Quod ſapientisſimus veri ſcrutator Ariſtoteles notauit: poenae dilationem inter inuitamenta delinquendi reponens. Quare praeſentius frenum, data vindicandi poteſtate, iniiciendum malitiae erat: quum & leones ob hominem appetitum olim crucifixos tradant, quod ceteri metu poenae ſimilis abſterrerentur. Vnde duplex intelligitur ſcopus vindicationis: vt ſeruata aequalitate ad ſocietatem ferantur homines; & effrenis nocendi libido fortius comprimatur.

Jus

§ (3) §

Ius vindicandi probatur a poſteriori, appetitu iraſcibili. An ira pari aduerſus parem data. Lactantii ſententia expenditur & reiicitur. An contra ſuperiorem vel defendendo vel vlciſcendo ſe vindicare liceat.

A poſteriori etiam, vt in ſcholis loquimur, duci argumentum conceſſae vindicationis poteſt: quod nimirum ſi ea illicita, *iraſcibilis appetitus*, a natura nobis inditus, vſui nullo futurus eſſet. Itaque Lactantius etiam verbis iam allatis fatetur, *iram ad coercitionem peccatorum datam eſſe.* Sed idem obturbat citato capite quarto Epitomes, & cap. XIX, lib. VI Diuinarum Inſtitutionum. Ibi iram ſuperiori duntaxat contra minores, non autem pari aduerſus pares aut fortiores datam contendit. *Ira*, inquit, *ad regendam ſubiectorum diſciplinam data eſt a Deo .... at qui terminos eius ignorat iraſcitur paribus aut fortioribus.* Rationes indicato cap. XIX affert, ſequentibus verbis. *Irae affectus ad coercenda peccata eorum* (data eſt) *qui ſunt in noſtra poteſtate; id eſt, vt arctiore diſciplina minor aetas ad probitatem iuſtitiamque formetur: quae niſi metu cohibeatur, ad omne flagitium & facinus euadet. Itaque vt ira vti aduerſus minores, & iuſtum eſt & neceſſarium: ſic aduerſus pares, & pernicioſum eſt & impium.* Quid ita? *Impium eſt, quod violatur humanitas.* Cur autem *pernicio-*

nicioſum? quod illis repugnantibus aut perdere neceſſe eſt, aut perire.

Haec profecto omnem omnino vindicationem videntur iniquitatis damnare. Si enim minori tantum aetati iraſci poſſumus, vt arctiore diſciplina coercatur; ſi pari aut fortiori, multoque magis qua poteſtatem ſuperiori, prorſus illicitum eſt iraſci: cui bono iudicia conſtituantur, in quibus contra quamuis aetatem vindicatio conceditur; ad quae nemo ſine omni animi motu prouocabit venietque? At cui bono, obſecro, idem affectus brutis animantibus ingeneratus eſt, quae illo vti, niſi ad tutelam corporis ſui, neſciunt? Quod ſi ad finem hunc datus iiſdem eſt; cur ergo generi humano, & promiſcue minori aetati aeque ac maiori, prorſus aliam ob cauſſam natura ingenuit? Sed fortasſis dabitur nobis, hactenus aduerſus pares conceſſam iram, vt auctoritate ſuperioris iniurias vindicemus. Quid igitur faciant liberi populi? quid alii porro, qui iudicem vel plane nullum agnoſcunt, vel eius copiam non habent? Hisce enimuero, ne iraſcantur pari, aut fortiori; omittenda vindicatio: nequitiae, ſceleri, furori alieno praebendum iugulum; cedendae opes, fortunae ac vitae inſtrumenta; id eſt, deponenda omnis cura erit ſuae ſalutis. Quae vero hinc oriturae eſſent turbae ſocietatis ciuilis? Rectius itaque his pariter iram vindicationis cauſſa datam ſtatuamus: ne improbitas hominum, *niſi metu cohibeatur, ad omne flagitium & facinus euadat.* Neque enim ſuperioris gratia licet aduerſario iraſci; imminentes iniurias auertere defendendo, aut illatas vlciſci: ſed quia hoc ius nobis competit, quia ad hoc ipſum innata nobis eſt ira; id propter ſuperioris auxilium atque fidem implo-

implorare poſſumus. Qui quoties non adeſt, aut non vult, aut nequit iudicis officio fungi, ceſsat etiam neceſsitas eum adeundi.

At impium eſt humanitatem, ira aduerſus parem, violari. Heic primum reſpondeo, non iraſcentem ſeu vindicantem iniurias, de crimine hoc reum eſſe faciendum; ſed eum, qui praeter fas ac ius omne alteri malum aliquod minatur aut intulit. Qui, quantum in ſe eſt, vinculum illud naturalis cognationis, quo genus hominum coniunctum cenſetur, ſoluit rumpitq;. Merito itaq; indignus habetur affectu, qui antea ipſi debebatur. Quid vero illum violatae humanitatis accuſes, qui contra primum eius verumque violatorem iura ſua tuetur atque asſerit; nullo laedendi propoſito: etſi pertinacia & malitia aduerſarii efficiat interdum, vt violentis remediis vti quis cogatur. Natura quemque ſibi voluit carisſimum eſſe. Adeoque ſi metu offendendi inuaſorem, omittas iurium tuorum ac ſalutis curam omnem, non minus inhumanus vocandus eris. Peccas ſane in naturam: quae pugnante inuicem amore tui ac ſocii, ſeu proximi, illum vult praeferri. Haec vltro ſuggerit iſtud: *Heus proximus ſum egomet mihi*. At ſi violare humanitatem; id eſt, ſi quocunque modo offendere aduerſarium nefas eſſet: nemo ſine crimine, quantumuis in iudicio, ſe defenderet ac vlciſceretur. Nec enim poteſt contra inuitum ius dici, ſine omni eius offenſione.

Perniencioſum tamen eſt ira vti aduerſus pares: *quod illis repugnantibus aut perdere neceſſe eſt, aut perire.* Hoc argumentum haud dubie Lactantius ad vindicationem priuatam, ſiue quæ propria auctoritate exercetur, reſtrin-

git. Bene autem eſt, quod addit, *illis repugnantibus*. Itaque extra hunc caſum non erit perniciosum, ſi quis aduerſus pares ira vtatur. Nec infrequenter contingit, vt metu vindictae, ab inferenda iniuria, mali deſiſtant. Non etiam ſemper neceſſe eſt, alterum aut perire aut perdere, ſi aduerſarius repugnet. Quod ſi tandem ſeruari haud poſſumus, niſi iſte perdatur; ſecundum Grotium, *morali judicio non videtur aſtimandum illud periculum, in quod ipſum ſe quis coniicit, & vnde ſe poteſt eximere.* Quod igitur non principaliter & per ſe intenditur; ſine quo ſeruari iura noſtra aut recipi nequeunt, quod tandem ſatis cauere aduerſarius poterat, aut quieſcendo, aut ſponte ſuum faciendo officium; id neque iram, neque ex ira iuſta inſtitutam legitime vindicationem reddet illicitam. Quid vero ſi vindicanti certa pernicies expectanda eſt? Heic naturalis ſui amor, qui vnicuique conſeruationem ſui ipſius ſollicite commendat, non tam ius defendendi vel vlſciſcendi, quam potius vſum eius aufert ac vetat: quo maius periculum minore, & ſalutem noſtram, quauis tandem iactura redimamus.

Iam nouum argumentum Lactantius profert, atque *hanc autem*, inquit, *quam dixi, eſſe rationem, cur homini ſit irae affectus datus, ex ipſius Dei praeceptis intelligi poteſt: qui iubet, vti maledictis & laedentibus non iraſcamur: manus autem noſtras ſupra minores ſemper habeamus; hoc eſt, ut peccantes eos aſſiduis verberibus corrigamus: ne amore inutili & indulgentia nimia educentur ad malum & ad vitia nutriantur.* Heic obſeruari velim, Deum non ſimpliciter de ira loqui, ſed de effectu irae,

ſiue

ſiue quod ex ira prouenit : de maledictis & de laeſione iniuſta, Quae cum ab animo vltra modum irato veniant, Deus prohibet nos aduerſariorum hac parte ſimiles fieri ; improbat in nobis animum exulceratum & ſolo alterius dolore, qua dolor eſt, ſemet ſatiantem. Atqui haec prohibitio etiam ſuperiores quoſcunque comprehendit. neutiquam ergo inde ſequitur, ne quidem vt temet legitime tuearis aut vlciſcaris, licitum eſſe pari iraſci.

Quod vero ex abuſu irae, aut aduerſarii pertinacia & improbitate, multa ſaepe mala naſcuntur ; id quidem verum irae vſum necquicquam illicitum efficere poteſt. Veriſſime igitur dixerit Lactantius : *Sed rerum imperiti & rationis ignari, eos affectus, qui ſunt homini ad vſus bonos dati, exterminauerunt, & latius quam ratio poſtulat euagantur. inde iniuſte atque impie viuitur.* Sed quando ſubiicit : *vtuntur ira contra pares : hinc disſidia, hinc expulſiones, hinc bella contra iuſtitiam nata ſunt :* in eo verum vſum cum abuſu confundit. Simpliciter etiam irae adſcribit, quod malitiae aduerſarii tribuendum erat. Simpliciter damnat bella, quae quatenus iure defenſionis aut vlciſcendae iniuriae nituntur, per ſe iuſtitiae non repugnant. Equidem ideo nobis ira non data eſt, vt ea vtamur ad occidendos homines : ſi tamen ſine occiſione hoſtis nequeamus ſeruari, haec etiam permittitur.

Et ſane iniuriam Lactantius veteribus philoſophis facit, qui iram fomitem virtutis dixere : quod nemo poſſit aduerſus hoſtes fortiter dimicare, niſi fuerit ira concitatus. Illi enim non aliud voluerunt,

quam animum humanum inflammari per iram, quo fortiter defendat in bello patriam aut illatas iniurias vlciſcatur. Lactantius ea hanc in ſententiam dicta putat, quaſi ad perpetrandas caedes ira ſimpliciter data esſet. Hinc illa declamantis: *Quid* mine *immanius hoc, quid ſimilius feris belluis exiſtimandum eſt, quam id animal, quod ad communionem & innocentiam Deus fecit?* Sed eodem telo contra magiſtratum pugnari posſet: cui vtique ira data eſt ad vindicanda ſcelera, quin & exigente necesſitate, etiam ad tollendos de medio improbos. Quid igitur ſupereſt, niſi vt priuatam hanc Lactantii ſententiam, non communem totius eccleſiae fuisſe dicamus, atque a ſublimi propoſito abuſum tollendi, vnice commendandam.

Progrediamur iam ad alia. Si ex laudati diſertisſimi Patris mente nefas eſt, iraſci pari, quid de ſuperiore affirmemus? Cum etiam fundamentum vindicationis in aequalitate poſuerimus, vtique ad ſuperiorem referenda non erunt, quae hactenus disſeruimus. Superiorem enim & inferiorem esſe, manifeſtam inaequalitatem oſtendunt. Illi reuerentia debetur, & quidem tanto maior, quanto excellentior praerogatiua ipſius. Huic reuerentiae & pietati non conuenit, reſiſtere ſuperiori, eiusque actionibus & voluntati ſemet opponere. Ne igitur violetur pietas, aequius fuerit accommodare ſe patientiae, quam defenſionem, quam vltionem cogitare. Quid? quod neque tutum ſatis ſit, ei reſiſtere, qui grauiore infortunio te mactare poteſt? vult autem natura minus malum eligi, vt maius deuitemus.

Ad haec ita reſpondeo: neminem ea lege ſuperiorem esſe, vt quiduis ei in hominem ſibi ſubiectum liceat

ceat. Quantum igitur ad illa pertinet, quae ſuperiori in alterum non ſunt conceſſa, eorum reſpectu inferior recte dicetur liber & aequalis ſuperiori. Qui ſi quid horum ſibi arrogare in alterum inuitum voluerit, ad quae ius nullum habet; ſiue, quae iure nullo facere poteſt: peccat omnino: & ſi ſibi arrogauerit ipſo facto, obligatur ad reſtitutionem. Quum vero nec defendat Deus nec vlciſcatur innocentes niſi per media; quum & ſuperiorum libidini ac malitiae via intercludenda ſit: hinc tandem perpenſis vtrinque argumentis illud colligimus: ſimpliciter vindictam contra ſuperiorem nec vetari, nec permitti. Leues iniurias patienter ferendas: vbi maius & haud dubium malum ex vindicatione metuatur, eam omittendam. At quoties nec leuis iniuria fuerit, nec grauius periculum immineat, ita eam permitti, vt in modo vindicandi ſingularis ac cauta moderatio adhibeatur.

Haec atque alia hactenus tradita, inconcuſſae veritatis videntur: populorum quoque ac ſapientum conſenſus approbauit. Legibus vero diuinis tantum abeſt, vt contrarium ſit praeceptum, vt ne potuerit quidem praecipi, permanente omnino hoc rerum ſtatu. Neque Chriſtus vnquam vindicationem voluit prohibere. Deus enim non tollit, quae conceſſit ac indidit humanae naturae: nec creditur ſublaturus, quamdiu concedendi cauſſae durabunt. Chriſtianorum autem nomen quae gerat, haud adeo magna orbis terrarum pars eſt: & qui Chriſtiane viuant, qui amantes pacis pace permittant frui, pauciores multo inueniuntur. Hoc primum teneri velim. Conſenſum eruditorum tantum nominaſſe ſuffecerit.

nam coaceruare teſtimonia, non eſt noſtri inſtituti.

(4)

De modo vindicationis qua defenſionem & vltionem. De modo adimendi, quod alter ſibi plus ſumſit. In quo conſiſtat τὸ ἀντιπεπονθός, *& qualis talio ſit licita.*

Ad modum vindicationis accedamus, indagaturi, quinam in defendendo aeque ac vlciſcendo ſanae rationis ductu legitimus & naturaliter licitus habeatur. Defenſionis finis eſt, vt remoueamus damnum imminens, & iniuriam ab altero nobis intentatam. Quae igitur requiruntur & ſufficiunt ad depellendum malum, ea recte adhiberi cenſendum eſt. At vero, quod excedit vim ingruentis iniuriae, & neceſſarium non eſt ad eius propulſationem, fit illicitum, quando laedenti eripitur aliquid, quo tamen non erepto ſatis iniuria reprimebatur. Quare oritur inde inaequalitas, & noſtra culpa, & nullo nobis iure competente. Quod cum a natura facere prohibeamur, pateſcit talem defenſionis modum non probari. Neque dici defenſio poteſt, quae finem natura licitum excedit. Quantum vero ad vltionem illatae iniuriae, haec notanda. *Aequalitatem non ſeruare, omnem iniuſtitiam complectitur:* Ariſtotele, quinto ad Nicomachum, docente. „ Lactantius lib. V Inſt. cap. XV: Vbi non ſunt vniuerſi pa„ res, aequitas non eſt: & excludit inaequalitas ipſa iuſti„ tiam: cuius vis omnis in eo eſt, vt pares faciat omnes

eos

„eos,qui ad huius vitae conditionem pari ſorte venerunt. Iniuſtum igitur omne inaequale eſt: & contra iuſtum aequale;id eſt,medium inter plus & minus. Finis autem vltionis eo tendit, vt corrigatur inaequalitas, ſublatoque quod plus & minus eſt, priori temperamento ac medio cuncta reſtituantur. Sed iniuſtus eſt, qui plus ſibi ſumit & non ſeruat aequalitatem: iniuria ergo affectum minus habere oportet. Ex quo apparet, ſi recipiatur quod alter plus habet aut habere cenſetur; aut ſaltem adimatur: ad aequalitatem primam omnia redire. Quapropter iure naturae detrahi ac auferri poteſt, quod ſibi alter plus ſumſit, & in quo non ſeruauit medium.

De modo adimendi ardua magis res eſt. Nos per veſtigia Philoſophi incedentes, hac via facillime expediemus. Iniuſtitia omnis,ex qua inaequalitas oritur, non circa quaelibet, ſed externa ſeu fortunae bona tantummodo verſatur. Quoties in hiſce damnum infertur, & vere transiit aliquid in laedentem, illud ipſum adimi poteſt, quando adhuc, & quantum exſtat. In eo enim plus ille habet. Quod ſi vel totum, vel aliqua pars quocunque caſu perierit; non liberatur, qui dedit damnum: quod nihilo minus cenſetur plus habere. Nam quid amisſio aut interitus ad alterum pertineat, cui per iniuriam res ablata eſt? huius autem intuitu fieri exaequationem oportet. Quapropter ſimile aliquid ac reſpondens plenisſime illi ſiue toti ſeu parti, non exiſtenti amplius, recte aufertur. Idem iudicium, quamuis initio ſtatim laedens adeptus nihil fuerit. Etenim perinde exiſtimatur, nihil omnino accepisſe; aut acceptum periisſe confeſtim: atque ſufficit, quos aequales natura fecerat, illos

contra:

contra rationem iuris naturalis factos fuiſſe inaequales.

Nunc conſideremus in quonam conſiſtat illud ἀν-τιπεπονθὸς, vt Ariſtoteles vocat; id eſt, illa *ſimilis perpeſſio*, Attendentibus animum ad eius finem, manifeſtum fit, auferri quod plus eſt tantummodo debere: vt orta ex adiectione diſpar conditio corrigatur. Non autem detrahi amplius quid poteſt: ne medicina mutet in venenum, & ipſo aequitatis ſtudio iniquitas noua emergat. Igitur non ſimpliciter incenſis alicuius aedibus, interfecto equo, mutilatis digitis; nocenti idem reponere ius erit: ſed tum demum ſi non plus eripiatur. Nam continget forte, huius aedes aut equum decuplo cariora aeſtimari: ipſum egregium eſſe artificem & pictorem. Alteri contra, qui ingenium in manibus non habeat, parum mutilatio damni dederit. Tum collige, quantum heic demturus ſis tam inique ſubducta ratione. Eſt vero ius illud Rhadamanti & Pythagoricum pridem ab Ariſtotele reiectum. *Multis enim id locis* (audis verba Philoſophi quinto ad Nicomachum) *non conſonat. Vt ſi quis magiſtratum habens percuſſit, non oportet eum ſimiliter percuti. Et ſi quis eum, qui magiſtratum habet, percuſſit; non ſolum oportet ipſum percuti, ſed vlterius puniri. Praeterea inter id, quod ſponte fit, & quod non ſponte* (vt in omni actione, ita in vltione) *multum intereſt.*

Iuſtius ergo rationem rerum ac perſonarum habemus, quantum vere nocitum ſit, cum cura penſitantes. Nam ex cruda & obtuſa comparatione non poteſt non ſaepius iniuria noua conflari. At probe ponderatis vtrinque rebus ac perſonis, non eſt, cur amputata manu, viciſſim manum amputari poſſe, iniuſtum ſtatuamus. Hinc

per-

perſpicere licet, quo iure occiſi hominis vita, per mortem occiſoris vindicari queat. Atque hac certisſima via fundamentum in ipſa naturali aequitate ductu rationis atque Philoſophi nobis inuentum eſt. Accipimus autem eum illo talionem non ſtricte *ſecundum aequalitatem*; ſed vero *ſecundum proportionem rationis.* Quod Graece ſic exprimitur: *τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ᾽ ἀναλογίαν, καὶ μὴ κατ᾽ ἰσότητα.* Haec proportio ſi in *aequalitate, ἐν τῇ ἰσότητι* inuenitur, a natura, vt diximus, neutiquam damnatur exacta ſecundum illam talio.

§ (5) §

Laeſo iſtum ad modum competit vindicatio. Sed non ſimpliciter praecipitur. Magis exhortatur natura ad patientiam. Talionis aequitas teſtimoniis confirmatur.

Explicatis hiſce non diſquirendum anxie, cuinam hunc in modum ius ſuum vindicandi poteſtas adiudicari debeat. nam ſupra ſatis declarauimus. Laeſus igitur, quique defendere ipſum debent, tam tuentur ſeſe ac ſuos, quam vlciſcuntur iuſte, praeſcriptos terminos haud excedentes. Nec aliud dicendum, quantumuis nihil exinde conſequantur: quia aequalitas illa interdum ſubtrahendo duntaxat reducitur. Signate quoque Ariſtoteles ſecundo artis Rhetoricae: *Qui referunt, non faciunt iniuriam, ſed vlciſcuntur.* igitur & inde nihil periculi. Permiſit autem natura inſtitutam hiſce modis vindicationem, ob memoratas paullo ante rationes; at ſimpliciter

non precepit. Tum enim demum, ſi interitum noſtrum ac perniciem trahat iniuria, ne finis ſuus deſtruatur, natura defenſionem iuxta atque vltionem efflagitat. Si nimirum vitae periculum inſtet; ſi occiſus quis iniuſte fuerit. At illatis leuioribus damnis, tantum indulget haec iura, quo ſocietas conſeruetur. *Factis enim* inquit Ariſtoteles quinto ad Nicomachum, *ex proportione reciprocis manet coniunctio ciuitatis.* Magis de cetero, quamquam obſcurius ſuadet, vt mutua potius tolerantia coniunctio animorum foueatur. Tametſi enim iuſtisſime quisque patitur, quae iniuſte aliis inflixit mala: maioris tamen virtutis laudem habet, ſummo iure interdum nolle vti.

Atque cum omnibus hisce conſentiunt ſapientum ac populorum antiquisſima inſtituta & exempla: quae collecta ab aliis, nolumus ſuperfluo labore exſcribere. Inprimis talionem apud omnes fere gentes vetuſtisſimum fuisſe vltionis genus, ab eruditis obſeruatum nouimus. Sed non vbique inſtituebatur conuenienter naturae. Semper tamen creditum fuit, *ſua quemque exempla debere aequo animo pati.* Quae elegantisſima Phaedri ſententia eſt. Qui paullo ante in primo Fabularum AEſopiarum ait:

Nulli nocendum: ſi quis vero laeſerit,
Multandum ſimili iure.

Quid in ſacro Codice de talione conſtitutum legatur, memorem non monebo. Causſam vero huc impellentem expresſere Chryſoſtomus ac Tertullianus: quorum ille ad Epheſios: *Ea de re dicit, oculum pro oculo, dentem pro dente, vt illius manus cobibeat, non vt tuas excitet contra: vt non tuis tantum oculis noxam arceat, ſed & illius oculos ſaluos praeſtet.* Ad eundem ſenſum Tertullianus

ius.

ius iſtud a Deo permiſſum ſcribit, non vt faceret nouam iniuriam laeſus, *ſed ad primam coercendam,quam* (Deus) *probibuerat oppoſita talione:vt vnusquisque reſpiciens licentiam ſecundae iniuriae* (quae in ſe tamen vera iniuria non eſt) *a prima ſemetipſum contineret. Facilius enim* (Deus) *vim comprimi ſcit repraeſentatione talionis, quam repromiſſione vltionis. Vtrumque autem conſtituendum fuit pro natura & fide hominum: vt qui Deo crederet, vltionem a Deo expectaret: qui minus fideret, leges talionis timeret.* Saluatorem quoque noſtrum, dum inter homines ageret, conceſſam iure naturali vindicationem, tollere noluiſſe, ſupra tradebamus. Quare & modi omnes conuenientes cum iure naturae, haud interdicti cenſeri debent. In quibus talionem quoque ſecundum aequalitatem numeramus; obſeruata iniuriae datae ac vltionis proportione. Quod ſi illicita Chriſtianis talio haec ſtatuatur; quo colore, qua conſcientia Iuſtinianus, totque poſt eum ſeculorum iudicia, commendare edictum: *Quod quisque iuris*, potuere? At Imperator noſter ex Vlpiano Iureconſulto lege prima Digeſtorum, *Quod quisque iuris.* ſummam habere affirmat aequitatem. Cuius ratio quoque generalis, atque ex principiis iam percenſitis deprompta eſt.

(6)

Reſpondetur argumentis ex ſacris litteris contra vindicationem petitis. Verus eorum ſenſus. Sapientum ſententiae contra vltionem expli-

cantur. Patientia commendari, ſed non praecipi in rep. poteſt. Interdum etiam mala permittenda. Officium boni magiſtratus circa vindicationem.

Non igitur credo quemquam futurum temere, qui tam perſpicue ac genuinis ex cauſsis deducta, in ambiguis etiamnum habere velit. Si tamen erit fortasſis, qui in iſta rerum humanarum caligine ad rectiora nos traducat; huic longe maximum beneficium ſumus debituri. Nunc autem ponamus immota, quae nondum labefactata ſunt. Nam cognoſcendum porro, quae necesſario fluant exinde. Illud nimirum: quaecunque in ſacris litteris occurrunt, ſiue defenſioni, ſiue vltioni prima ſpecie contraria, aliorſum, quam verba ſonant, accipi debere. Nam abſurde crederetur eandem vindicationem ſimul ac aequo ſenſu, concedi & prohiberi. Quod attendi eumprimis debet in quamplurimis ſententiis atque ſermonibus noſtri Seruatoris. Quem nouum quaſi legislatorem fingere; verba eius magis quam mentem ſpectare, & noſtro tamen principio asſenſum praebere nemo poteſt. Dudum a Theologis quoque demonſtratum eſt, quam eruditos, tam falſos animi fuisſe, quibus Euangelicam legem obtrudere placuit orbi Chriſtiano. Ceſſent quoque ex prioribus Chriſtianiſmi ſeculis pii quidem illi, ſed nimium quam par erat ſuperſtitioſi: quos Origenes teſtis eſt, pesſima quaeque & mortem ipſam neglecta omni defenſione tolerasſe. Adeo ſuadendi magis, quam

quam iubendi voluntate prolata pro praeceptis amplectebantur.

Nos verius multo cenſemus, vltionem, quatenus duntaxat animum dolentis exſatiat, in veteri & apertius in nouo Inſtrumento prohiberi. Suaderi quoque, ne leuiores iniurias vindicemus ſtatim. Eſſe enim vltorem Deum, qui videat mala noſtra, & improbitatem aliorum ſatis ſit puniturus. Nullam virtutem aeque decere Chriſtianum, ac magis ſpirare amorem proximi, quam patientiam. Cui eo magis adſuefaciendus animus, quo pronior ex imbecillitate in odium, in iram lapſus datur. Qui enim poſito affectu omni ius ſuum proſequantur, paucisſimos offendas mortalium. Quare tutius plane & excellentioris animi eſt, accipere ac ferre iniurias, quam vindicare.

Huc vero etiam natura & ſanae rationis lumen deducit homines; ſed dilucidius ac plenius Chriſtus rem omnem explicauit. Quin ex gentilibus ſapientes idem videre. Neque vnquam tam ſtupidi illi, vt quae licerent naturaliter, ignaua ſecuritate ignorarent, aut ſcrutari nollent. Quae igitur cunque ab his etiam conſignata ſunt, neque defenſionem neque vltionem iniquitatis accuſare vnquam voluerunt. Vnde manet, omni tempore, omnique caſu fas eſſe, vt contra iniuſtam laeſionem te tueri, tua congruis modis vindicare damna poſſis.

Nihilo interim minus patientiae ſuus quoque honor debetur. Diligenter enim omnes admonendi ſunt, vt ex ea praecipue laudem quaerant, atque *operam dent totis viribus, vt mereantur a Deo ſimul & vltionem paſſionis, & praemium.* *Lactant. l. 6. 24.* At lege publica imperare eandem, & dene-

gatum ire hominibus, vel qua minimam partem, ius vindicandi; id vero non ſapientis & aequi legislatoris; ſed imprudentis atque omnium iniquisſimi videretur. Quantae enim hinc excitarentur querelae ciuium? Quantae turbae clamitantium, iura ſibi ſua, naturaliter, & diſerte a diuino Numine tributa, eripi? Quotusquisque par huic odio esſet? Quanta ex aduerſo metuenda licentia nefariorum, & inſultantium alieno dolori? Non reſpondebo vanae de abuſu obiectioni: propter quem nemo prudens rem ipſam damnauit.

Multa etiam permittere ſumma poteſtas cogitur: ne publicae rei periclitetur tranquillitas ac ſalus. Quae non raro, quum ſimpliciter mala ſint, tolli tamen nequeunt e ciuitate, ſed prohibita ſecure a prauis ingeniis perpetrantur. Audiamus Hug. Grotium egregie hac de re disſerentem, ad cap. V Matthaei. *In his*, inquit, inſtitutis ad ſocietatem ciuilem pertinentibus, *exigit vbique gentium ipſa reipublicae necesſitas, vt multa quae per ſe non probantur legum auctoribus, permittantur tamen: ne maioribus malis detur occaſio, aut etiam ne vileſcant ſine moribus leges. Quamobrem Cicero ſententiam vult dici, vt in faece Romuli, non vt in Platonis politia. Sed & ipſe Plato, cum finxisſet quandam ex ſuo ingenio remp. nullo ad homines reſpectu, aliam deinde deſcripſit in legibus, quam vocat* ἐξ ὑποθέσεως. *Alius quidam interrogatus*, εἰ τοὺς καλλίστους ἔθετο τοῖς πολίταις νόμους; *reſpondit* οὐ τοὺς καθάπαξ καλλίστους, ἀλλ' ὧν ἐδύνατο τοὺς καλλίστους. *Talibus ergo inſtitutis, quae legum auctori expresſit necesſitas, ſi quis non vtitur, aut alios etiam tam bonos reddit, vt vti eis nolint, nihil profecto committit aut contra legis verba, aut contra ſententiam*

tiam: immo vero cenſendus eſt id facere, quod legis au-ctori maxime placet. Nam vt ab Ariſtotele veriſſime ſcriptum eſt, omnibus legum auctoribus propoſitum eſt ciues bonos efficere.

Abeant ergo praecoces Politici ac ſuae ſapientiae tantum plaudentes, & nouam meditentur rempublicam, quae licita; ſed obnoxia abuſui exſtirpet plane ac penitus ignoret. Prudenter interim concedet ſumma poteſtas, vt iure quisque ſuo legitimis modis vtatur: at quantum in ſe eſt, etiam abuſui occurret, vt poſitis firmis limitibus libidinem excedendi poenae metus comprimat. Vtilitas iuris interim ac vſus communis eſt: quemadmodum aliàs leges in vniuerſum non vni; ſed omnibus feruntur. Nec enim determinari poteſt, vtrum ſalua conſcientia, vtrum citra Chriſtianae patientiae fraudem huic, illive, & quocunque tempore, permisſis vti conueniat. Mandabit hoc monendi officium magiſtratus curae ſacerdotum: qui conſtituuntur in ſacro ambone, nec ciuilem; ſed aeternam vnice ſpectant felicitatem. Nam horum maxime eſt, quo animi cultu, quibus ſtudiis Chriſtiani veri impleantur partes, ſollicite ac pie interpretari. Quorum verba ac declamationes, prout dictauit ſanctisſimus zelus, pro lege obtrudere magiſtratui, valde ieiuni Politici foret. Quam non exarſere antiqui Patres contra vſurarum peſtilens malum! Quam grauiter a noſtris ſacerdotibus infamantur! Neutiquam tamen illicitas fecerint, ſi exerceantur recte: nec ad omnem earum vſum hominibus auferendum vnquam valebunt.

Quare tandem aliquando firmiter concludamus, & de-

& defendendo & vlciſcendo modis expoſitis,cuiuis hominum, aut eius nomine aliis, permitti iniuriarum vindicationem. Quod hactenus quaerebamus. Acceſſit pariter illud, multo minus ſummam in rep. poteſtatem adimere iura haec poſſe; & deculpari imprudenter, ſi legitimae vindictae viam nemini cuiquam iniuſte laeſo, propter communem omnium tranquillitatem intercludat. Nunc progrediamur tandem vlterius. Nam ad noſtrum inſtitutum de hisce vel ſatis, vel etiam nimis.

(7)

Poſtquam euictum eſt, ius vindicandi laeſo competere, porro docetur, an & quando ſua ſe auctoritate vindicare fas ſit. Quem ad finem ordinata ſint iudicia. An & quibus caſibus liceat magiſtratui, ciuibus ſuis ius, ſemet ipſos priuatim vindicandi, concedere. Obiectioni de malis eo conceſſo naſcituris, reſpondetur.

Duo autem principia reſtant adhuc, fundamenti inſtar heic collocanda. Eorum enim firmitudine ac ſoliditate ſperamus fore, vt quicquid ſuperſtructum fuerit, inconuulſum perſtet. Primum igitur manifeſtae & conſenſu approbatae veritatis eſt, ſi conſideremus hominem in libertate naturali, nulloque ad ſuperiorem & iudicia reſpe-

reſpectu, vindicare iniurias ſuas propria auctoritate licere. Iudicia enim non ideo conſtituta ſunt, quod vindicta priuata per ſe esſet illicita; ſed ne ſibi permisſi homines iure ſuo abuterentur. Quia nempe facile abripiuntur affectibus, vbi proprius vrit dolor atque inflammat. Adde, quod non perſpiciunt omnes, quousque progredi, & vbi ſubſiſtere oporteat. Per iudicia igitur priuata vindicta tollitur ac prohibetur; ſed ea conditione, ſi publica illa haberi poterit, & vbi magiſtratus interdixerit priuata. Quibus vero in locis aut nulla, aut non communia habentur vel adiri poſſunt iudicia, neceſſario licere, quod diximus, debet. Nam fruſtra a Deo & natura daretur ius vindicandi, illius tum negato exercitio.

Iam altero loco ex praemisſis ſequitur, neminem peccare, qui venia magiſtratus ſua ſe auctoritate defendit atque vlciſcitur. Nam reſtitutus ſic cenſetur priſtinae ac naturali ſuae libertati. Licere vero poteſtatibus ſummis ius iſtud ciuibus interdum concedere, hoc argumento reuinco: quod nunquam iudiciorum finis ac ſcopus fuit, vt omnem omnino priuatam vindictam ex republica tollerent. Quandam quoque necesſario permittere coguntur. Neque vsquam in veteri aut nouo Inſtrumento contrarium inuenitur mandatum. Verus autem ac genuinus iudiciorum ſcopus hic eſt, vt metuenda ex cauſſis iam adductis, reipublicae pernicies auertatur.

Quod igitur ius a ſingulis ab moralem necesſitatem, ad conſeruandam humanam ſocietatem, in ſuperiorem translatum eſt; id in ſingulos recte refertur, exigente pari necesſitate. Si obtineri iſte finis per iudicia aeque commode nequit, ac per priuatam vindictam; ſi minus

ex hac incommodi, quam ſi publice & ſolenni ordine iudiciorum vlciſci iniurias iubeamur. Tunc ſumma poteſtas, ſeu magiſtratus, licite permittit illam eodem modo exerceri, quo publica exercetur. nempe non ex ira, non praua cupiditate animum explendi: ſed vt ſuum quisque vel recipiat vel tueatur. At quoties hoc non ſpectatur a vindicante, non vtitur concéſſo iure, ſed abutitur. Quod ita permittit ſumma poteſtas, vt minime approbet; Deo autem, in ipſum vsque animum penetranti, ſuo tempore relinquat puniendum. nam ab humana poteſtate nec dignoſci tam manifeſte omnia delicta; nec manifeſta ſemper puniri posſunt.

Tunc vero inprimis recte conniuetur in priuata vindicta, aut executio ſententiae iam latae laeſo conceditur, ſi cauſſae cesſent prohibitionis. Nempe quibuscunque caſibus determinatus iam eſt; aut determinari modus vindictae vel executionis poteſt, vt quantum ſibi quisque permittere habeat, ſtatim dignoſcatur. Et ſi porro nullae latendi occaſiones exceſſibus dentur; ſi meritae ſtatim poenae modum transgresſos premant; ſi ratio vindicandi expeditior in priuata vindicta, & contra difficillime ac longis moleſtiis, in foro diſceptantes ius ſuum conſequantur.

Ne opponas mihi odii, iraeque tempeſtates, inde ſurrecturas. Nam tales ne a iudiciis quidem auerti queunt. *Metus legum*, ait Lactantius III Epitomes, *non ſcelera comprimebat; ſed licentiam ſubmouebat. Poterant enim leges delicta punire: conſcientiam munire non poterant. Itaque quae ante palam fiebant, clam fieri coeperunt.* Eadem iudiciorum qua motus affectuum ratio. Ferro enim ac

igne

igne proſequitur ſcelera iudex: in affectus autem, vnde promanarunt, nullus dominatur. Non illos exſcindere, non comprimere valet: niſi vt poenae formidine in manifeſtas iniurias ſeſe ne effundant. Nihil itaque hac parte intereſt, ſive publice ac in iudiciis, ſiue priuatim ius noſtrum perſequamur. De abuſu generatim dicta non repetimus.

Haec dum ſcribo, inuitus ſane ad tractatum tuum, VIR nobilisſime, retrahor. Videor enim mihi videre omnes hiſtorias tuas & fabellas; omnes ſententias & apophtegmata; ſacra, externa; quin vniuerſum denique agmen circumſpicere fugam, & ad noſtra paullatim transire caſtra. Veremur ergo ne nimis aegre feras, ſocios tibi tuos alienari. Sed bene habet. Exauctorabimus leuiorem hanc armaturam, haud pasſuri amplius, vt expeditas in praelia manus, vt generoſum iam impetum, deuictoque hoſte aeternos triumphos; ſed non vltra quam minetur. Quare iis praeteritis reliqua nunc exequamur.

(8)

Excuſatio ingresſionis a primis principiis longius repetitae. De retorſione noſtra duplex quaeſtio, iuris & conſilii. Quid iniuria verbalis, & quotuplex. De honore, quantum hominis bonum ſit. Eius defenſio naturaliter licita. Fons honeſtae vel ſiniſtrae de nobis opinionis.

Quouſque famae noſtre noceant contumeliae aut calumniae.

Surrexit hactenus praeter opinionem opus, quique breui nos ſperabamus defuncturos, tui gratia, VIR nobilisſime, non pepercimus labori. Vt ab imis fundamentis per gradus enitereris ad eam partem, quam depoſitis affectibus collocatam videbis in clarisſima luce veritatis. Huc itaque oculos conuertamus. Controuerſia eſt: Vtrum retorſio iniuriarum ſit licita? Primum vero conſtat, eam esſe vindictam, & priuatam quidem. Deinde a ſumma in variis rebusp. poteſtate concesſam obſeruari, tum tacito conſenſu per conſuetudinem, tum expresſa confirmatione. Igitur indagandum reſtat: Vtrum ob aequitatem potuerit permitti, & permisſa, publicae ſaluti nihil obſtet? Quae etenim neque pugnant cum iuſtitia ac honeſtate, & pluribus remp. emolumentis, quam damnis afficiunt; haec profecto nemo Politicorum introduci ac concedi posſe vnquam negauit.

Videamus initio de aequitate. Sermo nobis eſt de illo iniuriarum genere, quae non factis, ſed verbis fiunt: quando non eum honorem alicui verbis exhibemus, qui ei quomodocunque debebatur; verum nos ita potius de ipſo ſentire ſignificamus, vt nihili faciendus videatur. Generali vocabulo talem iniuriam *maledictum* appellant. Hoc vniuerſe quidem, vt Scioppius in Scaligero Hypobolimaeo, initio Loci communis *de Maledicentia*, annotauit, dicitur *quoduis verborum genus, quo mala alicuius exponuntur*; nec intereſt bene an male id fiat. Sed vulgo non niſi de eo genere dici ſolet, *quod a*

mala

mala lingua proficiſcitur : hoc eſt, de verbis probroſis, cum iniuria aut contumelia alicuius iunctis. Hoc ſenſu nobis accipitur. Continet vero iniuria haec & neglectum alterius, & laeſionem exiſtimationis. *Negligere* enim, docente Ariſtotele II Rhet. cap. II, *eſt ita de re aliqua opinari, vt ea nihili facienda videatur.* Neglectus *contumeliam* comprehendit, cuius proprium eſt, *detrahere alteri dignitatem; ea facere aut dicere, quae cum alterius ignominia coniuncta ſunt.* Huc etiam pertinent *calumniae, conuicia, ſuſurratio, irriſio & ſubſannatio*: quorum natura in Ethicis explicatur. Quod ad exiſtimationem attinet, ex modo iniuriae indubitate colligitur, laedentem quantum in ſe eſt velle ac conari, vt alios idem de nobis ſentire efficiat. In haec igitur inquirendum nobis venit. Primum quantum laeſionis contineant; & porro quaenam legitima vindicatio habeatur.

Non eris vero docendus, VIR nobiliſſime, rem ipſam, ſicut eſt, conſiderari oportere. Non circumeundum per ſingulas perſonas, quoties de lege ferenda aut approbanda conſuetudine conſultatur. Nam lex ipſa generalis eſt: itaque nequit adſtringi ad vnius aut alterius reſpectum. Cuius conditioni vtut non conueniat quoquo modo aliquid conſtitui: ſatis tamen eſt, publice ac vniverſim id expedire. Optime Grotius ad cap. XXVI Matthaei, com. 52. *Nam τὰ ἠθικὰ, in quibus eſt & reip. adminiſtrandae ratio, habent regulas ſuas, ad quorum rectitudinem ſatis eſt, vt ἐπὶ τὸ πολὺ ſint vtiles* (adde, *& aequitati ſaltem non inconuenientes* : quod enim prorſus iniquum ſeu inhoneſtum eſt, nec vtile cenſeri debet) *neque tamen vim ſuam amittunt, ſi quo caſu ea vtilitas aut*

aequitas peculiariter deficiat. Eadem via nos progreſſuri ſumus.

Honorem ab hominibus expeti, vt bonos ſe ac virtute praeditos probent, ab Ariſtotele in Ethicis eſt traditum. Eundem in virtutis pulcherrimo praemio, & in praecipuis externorum bonorum reponit. Quare debitum non denegari honorem, multum omnino intereſt boni viri. Nec enim eſſe bonus tantummodo; ſed videri, & credi, & haberi ab omnibus cupit. Denegato autem praemio virtutis, ipſa virtus in nobis tacite negatur. Iam porro haud ignoratur, quanta vis opinionis, quantum in ciuili ſocietate ac communi vita ſit momentum. Eas enim per vniuerſum orbem terrarum; percurras ſingula vitae genera; & apparebit, quam multum referat bonum aut malum exiſtimari. Adeo magna felicitatis noſtrae pars ab aliorum de nobis opinione dependet. Idcirco naturaliter iuſtum eſt, illius gerere curam. Natura enim indidit nobis rationem ac eius vſum: vt intelligamus, quaenam cum fine ad quem conditi ſumus faciant. Voluntatem ratio inſtruit, ne ſequamur nocitura, quoque profuturis omni animo ſtudeamus. Ad hanc famae curam etiam Cornelius Martini prouocat, epiſtola apologetica ad Henricum Iulium, Ducem Brunſuicenſem, & Luneburgenſem. *Prudentiae*, inquit, *conſulti aiunt, famam & vitam pari paſſu ambulare, & ſi altera aequo animo ſit ponenda, vt illam conſerues, hanc relinquendam eſſe.* Neque hodie aut heri natae ſunt ſapientum voces, quae contemtorem famae; id eſt, aliorum de ſe exiſtimationis, peſſimum ac crudelem appellant. Auguſtinus ad fratres in Eremo: *Conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo*

ximo tuo. Qui fidens conſcientiae ſuae negligit famam ſuam crudelis eſt. Quin & *negligere quid de ſe quiſque ſentiat*, iudicio Ciceronis, *non ſolum arrogantis eſt; ſed etiam omnino diſſoluti.*

Duabus autem viis potiſſimum bonam vel ſiniſtram opinionem conciliamus: quarum altera in nobis ipſis quodammodo quaerenda eſt; altera in ſermonibus ac iudicio aliorum. Illa nihil proficimus, quantacunque etiam in nobis bona ſint, ſi ignorantur. Cuius rei teſtimonium praebet quotidiana experientia. Quamquam enim in Iuriſconſultorum ſcholis diſcamus: *Quemlibet praeſumi bonum*: non illa tamen regula in communi vita & in quibuſuis ſtatim negotiis indubitatam fidem facit. neque id volunt Iureconſulti. Quum igitur ad honeſtam ac egregiam opinionem non proſint occulta bona: vt appareant ineſſe nobis ac videantur, ſerio eſt allaborandum. Quod tantopere ad hominum animos requiritur mouendos, vt ſaepe ſpecie virtutis peſſima, ſed diſſimulata vitia fallant. nec enim bonis ſemper artibus exiſtimatio bona comparatur. Contra ea ne quis ſuperbus, ne altercator ambitioſus, ne gurges & helluo abdomini natus, ne parum ſobrius parumque ſe habere exiſtimetur, contrariis ſpeciminibus oſtendat. Quamdiu enim & quibus haec ignorantur, tamdiu male audiet, iſtorum ſuſpectus vitiorum.

Sed haec omnia demum apud illos efficiunt aliquid, quibus cum viuere nos ipſos, in quorumque notitiam venire contingit. Non eadem apud ceteros ratio. Nam ibi laudibus ac vituperiis aliorum, prout cauta aut facili credulitate accipiuntur, opinionem de nobis debemus.

Quan-

Quandoquidem enim ea nati ſumus conditione, vt ſcientiam rerum omnium habere ſolius diuinitatis praerogatiua ſit: cogimur ſaepius aliis, & de quamplurimis credere, quos putamus rei gnaros, ac ſtudioſos eſſe veritatis. Quale autem cunque feratur iudicium, fidem adhibemus tantisper, donec contrarium reſciſcamus aut experiamur. Ac inde non ſcientia quidem; ſed opinio tamen naſcitur. Quod quemadmodum in pleriſque rebus humanis; ita in exiſtimatione frequentisſimum eſt, de vita ac moribus hominum nobis haud perſpectorum. *Scimus*, inquit Cicero, *homines in tantis rebus, vt aut contemnant aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famae, quam aliqua certa ratione commoueri.*

AEque igitur & honeſtae, & pesſimae opinionis fontem, ſermones atque iudicia de nobis vocare licet. Opinio autem, vt Simonides dixit, etiam vim affert veritati. Tametſi itaque ſumus probisſimi; tametſi alii de nobis idem ſibi perſuaſere: attamen ſi mala lingua veluti peſtilenti quodam ſidere afflet illam exiſtimationem noſtramque famam; quis non videat, quantum periculi inſtet? Tam tenera & delicata fama eſt: impurae manus quantumuis leui tactu, ſaepe contaminatur. Verisſime ergo Iſidorus Peluſiota: *Bona exiſtimatione melius ac praeſtantius nihil eſt: nec Croeſi theſauros cum ea quisquam comparauerit. Tales enim eſſe cenſemur, qualis fama cuiusque eſt: huic aures, huic intenduntur oculi.* Quae verba licet de publica & communi fama loqui videantur: tamen ad rumuſculos etiam & occultos ſermones recte accommodamus.

Sane quidem vt ſceleſto homini immeritae laudes indue-

induere virtutem, fundamentum veri honoris, neque-unt: ita nec eripere nobis poſſunt peruerſi calumniatores. nam haec nullis externis auxiliis, vbi deeſt, comparatur. Calumniae vero ac contumeliae infirmius robur habent, quam vt noſtra nobis & propria intercipere bona poſſint. Neque illud aſſeuerare vnquam voluimus, proſciſſum conuitiis infamem prorſus reddi. Nec enim tollitur exiſtimatio, quam Calliſtratus L. V, De Extraord. cognition. vocat *dignitatis illaeſae ſtatum, legibus ac moribus comprobatum: qui ex delicto noſtro auctoritate legum aut minuitur aut conſumitur.* Si autem ex delicto noſtro, & auctoritate legum: ergo alterius minime iniuriis.

Eſt vero exiſtimatio haec publica, & quamdiu flagitio nullo infringitur aut amittitur, certorum in ciuitate iurium facultatem ac vſum tribuit: labefactata & proiecta, iterum exuit iisdem. Talia probroſi de nobis ſermones, aut manifeſtae contumeliae non operantur. Nec publice ſtatim & ab vniuerſis mali habemur: vt vt traducti abſentes, vel ſcelerato conuitio in os verberati fuimus. Hoc ſenſu accipiendum Gordiani reſcriptum ad A. Donatum L. III, C. *De iniuriis. Si non es nunciator, vereri non debes, ne ea propter quod iniuriae faciendae gratia quidam te veluti delatorem eſſe dixerunt, opinio tua maculata ſit: quinimo aduerſus eos, qui minuendae opinionis tuae cauſa aliquid confeciſſe comperientur, more ſolito iniuriarum iudicio experiri potes.* Adiice: aut alio quoque remedio vti, quo exiſtimationem tuam a violatione omni tuearis. Itaque omnino facimus cum vulgari ſententia. Fama auferri non poteſt, vt ſcilicet vere ac publice infames reddamur per calumnias aliorum aut contumelias. *Leuibus enim aut*

falſis ex cauſſis orta, breuia ſint oportet: tacebunt cum multo latrauerint. Quae arguta Petrarchae ſententia eſt.

Notabile inter haec tamen & confirmatum experientia nouimus ſcelerati Politici axioma: calumniandum eſſe audacter, quia ſemper aliquid haereret. Quo quidem apud hos illosve imminui poteſt ea bonae exiſtimationis ſpecies, quae ab Ariſtotele Rhet. I, cap. 5, ſic deſcribitur: *Bona exiſtimatio eſt, ab omnibus virum gratia & auctoritate praeditum exiſtimari: aut tale aliquid habere, vt id omnes appetant, aut multi, aut boni, aut prudentes.* Fac enim publicis aliquem admouendum officiis; aut occupatum in tractandis negotiis eſſe; aut quiduis tandem non leue ad ciuilem felicitatem momentum habens agitare: aut ſaltem in luce ciuitatis ſuae viuere. Huic aſſignes egregia omnia, & feliciſſimis votis dignam virtutem. Eidem tamen optimo viro obiice hoſtem confidentem ac catum: qui arrepat maximis viris, fingatque delicta & occulta vitia; rumores inſidioſe ſpargat, aut etiam innocentem conquiſitis vndique rumuſculis, fabellis, auditiunculis palam inſectetur. Num huic omnium occluſas aures ſperaueris? & ſine ſucceſſu aeque, ac ſine poena ſaepius, alienae exiſtimationi hanc furiam contumelias inuſturam? Profecto equidem dici non poteſt, quantum apud inſcios in viri honeſti famam valeant calumniae & furori armorum nihilo mitior improbae linguae morſus. *Quae*, vt cum Buchnero loquar, *in conuicia & calumnias vbi prorumpit, acrius lancinat & altius laedit non raro, quam omnis ſaeuitia ferri poteſt.* Addatur Eccleſiaſticus cap. XXVIII, comm. 21. Et Cicero, *nihil*, inquit, *tam volucre eſt, quam maledictum, nihil facilius*

lius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius diſſipatur. Plura non cumulo. vileſcit enim opera in recenſendis ac probandis, quae ſuo non infrequenter malo verisſime multi experiuntur.

§(9)§

Quidnam iuris conſequatur verbis contumelioſis iniuſte laeſus. Diſtinguenda poena a reparatione damni & defenſione exiſtimationis. Poenae in maledicos & infamantes grauisſimae ſunt conſtituendae. Contra quos vindicatio damni atque exiſtimationis, & quibus detur. Quid ſi verum crimen obiectum? De modo vindicandi. An verberibus, an pecunia fieri vindicatio posſit.

Quidnam iuris igitur ab vtraque & laedentis per contumeliam, & laeſi parte naturaliter oriatur, ex hisce vniuerſis haud obſcure apparet. Qui enim non tantummodo non defert debitum nobis honorem; ſed inſuper manifeſto contemtu, quam viles & nullius pretii videamur, palam facit: non parum vtique detraxisſe nobis exiſtimandus eſt. Si in aliis externis & fortunae bonis inuite pati-

mur damna: quam aegre maximum illorum accidi & denegari feramus. At accedente profeſſo contemtu ac laeſione exiſtimationis; vel periculo ſaltem, ſi non defendatur: quotusquisque non deprehendat grauiſſimam iacturam? Haec damna porro ſi nobis inferat aequalis, cuique natura ius nullum id perpetrandi conceſſit: omnino plus ſibi ſumere & peccare in naturam ſtatui debet. De iure etiam diuino in ſacris litteris promulgato vide Leuiticum cap. XIX, 16, Pſalmum CI, 5, & epiſtolam Petri I, cap. III, 1. Quantum autem detrahit alteri, tantum & plus ſibi ſumſiſſe deputatur. Quocirca obligatus viciſſim eſt, vt patiatur iſtam inaequalitatem ſua culpa exortam corrigi.

Nunc videndum eſt, quantum ſubtrahi laedenti debeat, &, ſi fieri poteſt, laeſo addi, vt ad aequalitatem, quae antea affuerat, cuncta reducantur. De poena inſuper infligenda, ob contemtam legum auctoritatem, hoc loco non quaeremus. Neque illud etiam, quibus poſthac poenis maledicorum & alios infamantium improbitas compeſcenda ſit. Quas ſane, ſi prudentes viros audiamus, grauiſſimas eſſe oportet. Vnum afferam, clariſſimi viri, Cornelii Martini, locum ex epiſtola ad Henricum Iulium, Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem. *Seuere*, inquit, *magiſtratus fures plectit: merito ſane: tamen ea ſurripiunt, quibus ſaepe ſine magno detrimento carere poſſumus. Seuerius ac magis quoque ex merito in latrones animaduertunt, quod vitae noſtrae inſidiantur. At hi omnium maxime poenis digni erant duriſſimis, qui in exiſtimationem & famam proximi furta & latrocinia exercent, in inſidiis ſedentes & latitantes in tene-*

bris,

bris, vt ſecurius incautos opprimant. Nec ſane mitius caſtigandi, qui quantumuis profeſſo nomine alienam exiſtimationem publicis ſcriptis admordent ac lacerant. Sed aggrediamur ad noſtrum inſtitutum.

Duo naturaliter modi dantur praecipue, quibus exorta inter aequales inaequalitas emendatur: vera & quaſi reſtitutio rei ablatae. Sub iis talio etiam comprehenditur. Itaque dictis modis experiri iure naturali licet, contra omnes omnino, qui ſcientes ac volentes plus ſibi in alterum, quam competebat, permiſere: ſi eo fecerunt propoſito, vt affligerent alterum, ſuoque animo obſequerentur ac libidini. Qui vero non intelligunt, quid agant; aut alia omnia, quam de contemtu, vel minuenda exiſtimatione cogitabant: iis haud imputari actionem, in philoſophorum ſcholis hauſiſti. Ceteros neque dignitas, neque nobilitas liberat. Non merita non opes vinculo, quo ipſi ſe obſtrinxerunt, exſoluunt: quia quatenus ſunt aequales, eatenus fecere iniuriam; & iniuria omnis ad ſatisfactionem obligat.

Ex aduerſo ius ſatisfactionem exigendi nanciſcitur, qui per contumeliam iniuſte eſt laeſus. Eius quoque nomine cuncti, quibus neceſſitudine quadam coniunctus, eoque in tutelam quaſi traditus eſt. Tribuitur his autem, quoties voluerit laeſus vindicari iniuriam, aut quoties proſequi ius ſuum ob ineuitabile nequit impedimentum. Parenti ergo nomine filii; marito intuitu vxoris, iure naturali vindicatio contumeliae datur. Nam generatim in quauis iniuria dictis caſibus competit: & ſi temere tunc negaretur, intercideret ſaepius atque inaequalia aequaliqus tribuerentur. Quin grauiſſimo periculo exponitur, qui

qui nullo modo a contumeliis vindicatur. Si enim proculcari exiſtimationem factis contumelioſis aut verbis, neque reponi tamen quidquam praeter intempeſtiuum ſilentium videmus : quís non ex ignotis aut credula plebe putet, tacite vitia & crimina agnoſci? Hinc Cicero etiam eum, ait, qui nec defendit neque obſiſtit, ſi poteſt, infamiae, tam eſſe in vitio; quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat.

Haec ſi quis vere ac iniuſte laeſus, obſeruanda. Cuius autem honor atque exiſtimatio diminuta non eſt, neque diminui poterat, quod non adeſſet; ei neutiquam vindicatio conceditur. Sic paricidam, furem, latronem ſine iniuria dignis nominibus appellamus. Sunt enim qua iſta & exiſtimationem ſuam nobis inaequales. Ergo nec aequalia debentur. Pro libidine tamen & inſultandi causſa id minime licet: quandoquidem natura ius iſtud in delinquentem non dedit: vt vere peccet, quisquis eatenus plus ſibi ſumit. Quocirca & infert iniuriam, & vindicatio locum habet: non quia mendax ille, ſed quia nimio contemtu aegre huic aut male quoque facere laborat. Ex quo illud pariter efficitur. Quoniam ſcopus vindicandi a reliquis diuertit longius; adeo nec modum vtrinque ſimilem ac eundem a natura permittit.

Noſtrae vindicationis ſcopus eſt, vt vlciſcamur contemtum ac laeſam exiſtimationem, & oſtenſa falſitate conuitii, ab vlteriore periculo defendamus. Tam vltio igitur, quam defenſio heic concurrunt: & exinde demonſtrandum eſt, qualis vindicandi modus conueniat naturae. In quo curandum diligenter, vt tum vlciſcendo contemtui atque exiſtimationi laeſae, tum huic defen-

d ndae

dendae exacte reſpondeat. Verbera videntur ſaeuiora: nec conueniunt ſimpliciter cum contemtu per verba illato. Praeterea flagitioſiſſimus quisque & iuſtisſime etiam infamatus priuatim ſe vindicando, (aliud dicendum vbi iudex in conuictum reum hanc poenam dictauerit) hoc pacto honeſtatis opinionem acquireret; contra robuſtiorem autem fruſtra aut etiam maiore malo violenta haec defenſionis via ratioque tentaretur. At pecuniam ſi velis in contemtus compenſationem accipere, (quod, quia pecunia communis eſt rerum vtiliũ menſura, vtique concedimus) fieri poſſe, ſi laeſus velit, exiſtimatio tamen minus in tuto collocabitur. Nam redolet abiectum animum: & mouet potius malae conſcientiae ſuſpicionem. Quid porro, ſi neget alter, ſe tibi ſatisfacturum pecunia vel alio modo. An per vim priuato auſu & tuo periculo eripias? An adeas iudicem, longisque ambagibus, & maiore ſumtu dubiam litem proſequaris? ſane non videtur ſatis conſultum.

(II.)

Vera inaequalitatem corrigendi ratio docetur. In perſonis attendendum an aequales ſint an inaequales qua certum ſtatum. Si laedens neget ſe nobis eo, quem oſtendimus, modo ſatisfacturum, retorſioni locus. Quae duplex eſt. An & contra ſuperiorem detur. AEquitas eius, ſenſu

ſu genuino acceptae. Exemplum Chriſti retorquentis.

Videamus igitur annon rectiore iudicio ſic paria ſint facienda, vt ſine vi & iudicii ſtrepitu ac moleſtiis hac in re defungamur. Ratio ſana nihil promtius nobis, aut aeque conueniens ſuppeditat, quam vt violatus per contemtum honor, alio ac ſingulari honore compenſetur. Cuius rei cauſſam atque exempla Vlpianus quoque habet L.XXXV de R.I. *Nihil enim*, ait, *tam naturale eſt, quam eo genere quodque diſſoluere, quo colligatum eſt: ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſoluitur.* Exiſtimationi porro apud alios tam laeſae, quam in poſterum ſaluandae, reſpondet propria confeſſio male dicentis, ſe errasſe aut falſum dixisſe. Qualis non praeciſe in diſertis verbis conſiſtit, ſed colligitur quoque aliis ex ſignis ſufficientibus. Hac ille & ſuae opinioni detrahit vicisſim, & noſtrae conſulit: quum aliter ſe rem habere manifeſtum reddatur. Quare ad iſtum etiam modum exaequatio iuſte inſtituitur.

Praecipue autem ratio habenda perſonarum: ne maior temere honor referendus, & talis confesſio exigatur, qua exiſtimatio huius nimium inique grauetur. Quanto enim dignitas alicuius ſublimior; tanto & immenſior iactura eſt exiſtimationis. Iniuſte ergo plebeius homo aut deprecationem, aut expresſam confesſionem depoſcat. Nam quantus exinde contemtus alteri conflaretur? Quocirca ſufficiat, hunc inſigniore aliquo, pro conditione ſua, honore affici. Item familiari affatu & muneribus, aut quibuscunque ſignis tandem declarari publice, nunc quidem

quidem honeſte de homine tali ſentiri. Hoc pacto laedentis dignitas conſeruatur ac publica aeſtimatio. Nec alter cur de contemtu aut fama queratur, habet. Nam ille abunde compenſatus eſt: & tacita hac confesſione iniuriae, cauſa ſiniſtrae opinionis aufertur. Quin tacite laedens incuſatur mendacii. Itaque & detrahitur ipſi virtutis laus, quae ex veritate venit, eoque oſtenditur habere, propter quod honorem non mereatur. Quod licet occultisſime fiat; comparatione tamen vtriusque dignitatis ſatis eſt ad vindicationem. Namque vere talio, ſed ſecundum proportionem rationis heic inuenitur.

Inter aequales dignitate, aut non diſcrepantes nimium, aliter ratio iniri debet. Hic enim nullum exaequandae iniuriae modum naturae propius accedere deprehendas, quam *deprecationem, cum propria & expresſa confesſione falſitatis.* Quod ſi in Principem, aut alium dignitate multo ſuperiorem iactae contumeliae; fuſtes ac ferrum, non leuiora iſthaec laeſioni reſpondebunt. Atque his viis inſtitutam vindicationem naturaliter iuſtam esſe ſatis declaraui. Et illuſtrari per hactenus tradita posſunt, quae Hugo Grotius in ſecundo de Iure belli ac pacis, cap. XVII,22, tradidit. *In damno*, inquit, *aduerſus honorem & famam dato, non minus, quam in furto atque aliis criminibus vitioſitas actus ab effectu diſcernenda eſt. nam illi poena reſpondet; huic damni reparatio: quae fit culpae confesſione, exhibitione honoris, teſtimonio innocentiae, & per ea quae his ſimilia ſunt. quamquam & pecunia tale damnum rependi poterit, ſi laeſus velit: quia pecunia communis eſt rerum vtilium menſura.*

Difficilior quaeſtio oritur, contumaciter altero de-

negante nobis ſatisfactionem. In inuitum quidem ius vindicandi dari exploratum eſt. De modo dubitamus. Hoc ſane certisſimum ſtatuo: fas esſe, vt iniuriam nobis fieri obtentu integritatis ac debita ratione conteſtemur. Sed perſonarum conditio illam variat rationem. Quibus enim ob dignitatem aliove reſpectu ſingularem honorem ac reuerentiam debemus; eos promiſcue & aperte mendacii inſimulare, grauior non raro iniuria cenſeretur. Modeſta itaq; negatione alia omnia credi de nobis ac dici oportere oſtendamus. Quo ipſo tacite incuſamus mendacii: vt paullo ante expoſitum fuit.

Contra aequales largior libertas datur. Hos itaque manifeſtae falſitatis ac mendacii accuſare, a natura non prohibemur. Nam contemtum vlciſcimur pari contemtu: & exiſtimationem noſtram tuemur plane ab omni opprobrio. Dum falſiloquum ac mendacem vocamus, detrahimus ſane dignitatem & nullius aeſtimamus pretii: quia improbi tantum hominis eſt, mendacio traducere ac fallere alios. Virtuti autem ſoli, & quibuscunque virtutis ſpecies ineſt, pretium atque honor defertur. Eadem porro opera conſequimur, vt neque fidem inueniat apud alios; & ipſe accipiat ſuae exiſtimationis iacturam. Quod cum nullo iure nixus audacisſime ſibi in me ſumſerit, aequo animo patiatur, pari paria referri.

Ex eodem fundamento retorquere id ipſum crimen posſumus, cuius alter nos malitioſe accuſabat. Quorum enim iura, & dignitas & conditio; eorum quoque damna aequalia ſunt, qua exiſtimationem. Quocirca nec iniuſte heic talio ſecundum aequalitatem inſtituitur. Ceterum illud diſcrimen heic notandum, in criminantem

aut

aut conuiciatorem obiectum nobis opprobrium non directo repelli deberé, ſi ipſe vacuus ab eo purusque ſit. Hac enim duntaxat aut ſimili formula vti licebit: Eſto tantiſper mendax; eſto praeuaricator, helluo, ſcurra, maleficus, omnium flagitiorum princeps; donec ego mendacii, praeuaricationis, aut ceterorum reus fiam. Quod ſi maledicus vere contaminatus eſt probris & flagitiis, quae alteri per iniuriam obiectat; cauſſam non video, cur non eadem ipſi directo regeri poſſint. Abeſt enim malus animus: & ſola honoris atque famae noſtrae vindicatio ſpectatur. Conſenſu etiam interpretes ei retorſionem denegant, cui verum crimen ſine propoſito iniuriam faciendi illatum fuit. An contra ſuperiorem idem liceat, ex praecedentibus perſpicies. De magiſtratu percutiente inferiorem ex Ariſtotele ſupra exemplum dedimus. Nec raro locum inuenit illud Comici: *Si ego digna hac contumelia Sum maxime; at tu indignus qui faceres* (ſeu referres) *tamen.* Sic etiam priuatum non decebit ſuperiori conuicianti ſemet promiſcue opponere, quantumuis hic fortaſſis par conuicium mereatur. Pertinet huc quod Grotius ad cap. XXVI Matthaei annotauit. *Cum nemo ſibi non faueat, ſi id ſemel admittatur, poſſe priuatos a magiſtratu iniuria affectos, vim vi* (verba iniurioſa paribus) *repellere, omnia erunt tumultuum plena: nulla legum, nulla iudiciorum auctoritas. quare ipſa nos ratio eo ducit, vt concedamus aliquam eſſe vim, quae ſit toleranda, ne effreni licentiae detur locus.* Sane ſi quis praeter ſummam poteſtatē, coeco affectu & priuato odio incitatus, maledicta in nos ferociter dicat, quin liberius ac aſperius redargui & increpari poſſit, non dubitamus. Definire modum ob varie- pag. 20.

tatem perſonarum non licet. Illud non obſcurum eſt : ei qui prior laeſerat, neutiquam a natura concedi, vt retribuat vicem, & poſtulando alterum mendacii, aut retorquendo crimen inſtituat quaſi vindictam. nam noua orietur inaequalitas.

Hi igitur modi cum ratione recta conſonant. Tranſitur enim hac via ad medium illud, in quo ipſius iuſtitiae ratio conſiſtit. Et quamuis durum admodum videatur, tanto rigore calumniantis malitiam caſtigari : nihil tamen contra iuris praecepta infligitur. Quin Ariſtoteles in primo de arte Rhetorica, *Prope eſt*, ait, *vt ne iniuria quidem eſſe videatur, cum quis* (etiam ab eo, quem non offenderat) *in eo genere iniuriam accepit, in quo eſſe ipſe iniurius in alios ſolebat.* Quantum ad vindicantem, conſtat, eum ius ſuum vrgere. Neque ex ſolo verborum habitu ac formula confingere nouam iniuriam licet. Ad hanc enim animus requiritur ac libido nocendi, eo duntaxat voto, vt alter ſentiat malum fiatque miſerior. Quo ipſo prorſus a noſtra vindicatione aberratur : quae ad alterius damna, ſolaque nocendi cupiditate non tendit aut auffertur. Quod perditum propoſitum cui vindicationi ineſt, eam pii omnes dudum damnarunt: itaque nomen ſolum commune manet, non vero ſcopus.

Exempla ex antiquitate aut noſtri aeui, non produco. Tantummodo vnicum caput VIII, Ioannis Euangeliſtae expendere placeat, in quo Saluator noſter contra Iudaeos ſe doctrinamq; ſuam defendit. Ibi autem hoc agit, vt ſe a mendacii atque ſycophantiae culpa liberet ac contra ea Iudaeos improbiſſimae calumniae conuincat. Tandem itaque commate LV ſic loquitur : κἂν εἴπω, ὅτι οὐκ οἶδα

οἶδα αὐτὸν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν ψεύστης. *Et ſi dixero, quod non nouerim eum, ero ſimilis veſtri mendax.* Expende pauliſper, VIR nobilisſime, verba iſta, & dic quaeſo bona fide, annon retorſionis ſingulare exemplum heic inuenitur? Nos quidem paullo ante docuimus, ſpeciem retorſionis eſſe, & ſua aequitate niti, ſi probrum nobis falſo obiectatum, ſed quo conuitiator vere inquinatus eſt, directo in eundem ipſum reiiciamus. Hoc Chriſtus Dominus heic facit. Ad cuius etiam verba commate XLIX, Leontius, teſte Ioanne Maldonato, acute notat, pronomen *ego* emphatice poſitum eſſe, quaſi diceret Servator: *Ego daemonium non babeo, vos babetis.*

(11)

An recte in iudiciis ab ipſo iudice retorſio inſtituatur. Cur ea priuatis extra iudicium permiſſa. Quinam conuiciis expoſiti, aut ad ea proni. Officium legislatoris in concedenda retorſione. Quando inſtitui debeat. An contra perſonas nobiliores, magiſtratum, Principem detur. Summatim repetita quae diximus, cum monito de legibus latis non temere oppugnandis.

Hactenus ergo nec paucis, neque fallacibus argumentis comparatum puto, vt inire posſimus rationem con-

contumelias vindicandi. Ex quibus etiam manifeſtum redditur, frequentisſimos hodie retorquendi modos, quorum altero tantum mendacii contumeliantem poſtulamus; altero retorquemus ſimul ipſum obiectum crimen, cum naturali iure ſimpliciter non pugnare. Nec peccaretur a ſumma poteſtate ſi publicis legibus illud conſtitueret, vt per ſententiam iudicis maledici homines mendacii damnarentur, aut retorqueretur etiam in eosdem conuicium, innocenti iniuſte factum. Ceterum antequam huc deueniri posſet, non caritura esſet tota illa iudicialis cognitio grauisſimis difficultatibus. Ad eas igitur praecauendas non video praeſentius conſilium, quam vt laeſo ipſi concedatur retorſio, vel vindictae priuatae titulo, vel demandatae duntaxat executionis. Quod quidem in vindicatione per ſe non illicita, & exigente publica vtilitate, rectae a ſumma poteſtate fieri, ſupra manifeſtum fecimus. Iam noſtri muneris eſt vt doceamus, hoc caſu pro permittenda priuatis retorſione publicum bonum pugnare.

Firmisſimam omnino rationem in difficultate expediendarum litium ſitam arbitramur. Docet enim magiſtra imperitorum experientia, quantis moris ac dilationibus, quantisque ſumtibus actiones iniuriarum inſtituantur. Nemo ſponte, etiamſi per ambages fatetur, ſe mentitum fuisſe. Hinc tot latebrae quaeruntur, tot viae elabendi. *Hinc ſeges & materia litium: quarum taedio ſimul & inopia probationum vir cordatus praeoptabit iuri ſuo renunciare potius, quam in ambiguum certamen deſcendat, & praeſenti pretio velit emere ſpem incertisſimam.* Quibus verbis Dominicus Baudius vtitur, in commentari-

rariolo de Foenore foeneratorum fraudes perſtringens.

Accedit quod maxima pars illorum, qui tantum non vnice obnoxii ſunt contumeliis, non habet, vnde ſumtibus iſtis ſufficiant. Neque enim quorumuis honorem atque exiſtimationem inuadere contumeliis ſolemus, ſed illi praecipue in opprobria inique patent, οἷς μὴ λυσιτελεῖ διατρίβειν ἐπιτηροῦσιν ἢ δίκην ἢ ἔκτισιν· οἷον οἱ ξένοι καὶ αὐτουργοὶ. ἐπὶ μικρῶν τε γὰρ διαλύονται, καὶ ῥαδίως οἱ τοιοῦτοι καταπαύονται. Quae Ariſtotelis verba, ex capite XII libri primi de arte Rhetorica, Hermolaus Barbarus liberius paullo ſic latine reddidit. *Quibus vtile non eſt, opperiri iudicis animaduerſionem, aut expectare tempus vlciſcendi: quales ſunt aduenae & operariorum ſiue opificum genus. nam & quaeſtu quamlibet tenui leniuntur, & ab actione iniuriarum facile taedio litium reuocantur.* Quos quanquam Philoſophus in vniuerſum expoſitos quibusuis iniuriis tradit: tamen contumeliis facilius & probroſis compellationibus vexantur. nam alienae linguae intemperantiam coercere non eſt noſtrae poteſtatis. Sic de Ariſtippo Laertius prodidit, quum agitatus conuiciis abiiſſet tandem & inſectator ipſum perſequutus cauſſam fugae quaeſiuiſſet, argute, eum reſpondiſſe: Quoniam tu maledicendi poteſtatem habes, ego non item audiendi.

Ex aduerſo ad inferendas contumelias illi ſunt proniores: *qui dicendo in iudiciis valent; qui in rebus agendis verſati ſunt, multaque eius certamina obierunt. Tum qui amicis abundant; quique opibus.* Quos eo magis inſtigat ſingularis praerogatiuae ambitio. Obſeruauit hoc idem Ariſtoteles: quo nemo facile animi humani indolem ſollertius aut felicius perſpexit. *Cauſſa autem,* inquit, *volupta-*

luptatis, quam nonnulli facienda contumelia capiunt, ea eſt, quod quibus male faciunt, eis ſe ita demum ſuperiores putant. Quare & iuuenes, & diuites contumelioſi ſunt: ita enim dum faciunt, ſibi ſuperiores videntur. Prudentis vero legislatoris eſt, laeſorum curam ſollicite gerere: ne fiducia impunitatis, & ſpe effugiendi iudicii; aut longisſime tamen protrahendi; aut corrumpendi iudicis, magis magisque procax libertas ciuitatem miſceat.

Poteſt igitur ſumma poteſtas priuatam hanc vindicationem concedere. Hoc pacto deuitantur incommoda, oritura alias, ſi tantum in iudicio contumelias ſuas perſequi fas esſet. Contumelioſorum autem libidini obuiam itur: ne frenum omne licentia ſoluat. Modus interim conueniens adiectis poenis in transgresſores, praeſcribatur. Sic enim abuſui quoque quidam veluti obiiciuntur clathri; ſed quantum fert ciuilium rerum indoles. Doceatur quisque ſummum ſaepe ius ſummam esſe iniuriam: ceterum relinquatur conſcientiae ſuae, incorrupto & ſaeuisſimo olim iudici. Theologorum praecipue erit exemplo ſuo heic præire aliis: ne grauisſimis verbis retorſionem iniuriarum deteſtantes, plus moribus factisque noceant, quam doctrina proſint.

Concidunt igitur & heic cuncta, quae de abuſu tam prolixe es commentatus. Quamquam etiam aequius iudicatur, vt placide prius exigamus ſatisfactionem: non temere tamen retorſionem ſtatim fieri posſe ac debere legislator conſtituit. Primum enim ferendus eſt *pudorem ſuum*, vt Vlpianus loquitur, ſiue exiſtimationem a labe omni vehementius *purgans*. Deinde nemo praeſumitur vltro mendacii ſeſe accuſaturus. Quin quisque reſiſtet

ſiſtet alteri ac tuebitur potius illatam iniuriam. Fruſtra ergo ſatisfactionem peteremus. Tandem idcirco protinus ac e veſtigio retorqueri iniuria iubetur, ne lapſu aliquot dierum a die notitiae, non relata, ſed illata videatur. Nam ad animum non retuliſſe creduntur, qui prudentes atque ſcientes iniuriam muſſitant. At inde turbae, altercationes, ac illud omnino, quod Terentianus leno metuit. *Vbi illinc rediero*, inquit,

Nihil eſt; refrixerit res. nunc demum venis?
Cur paſſus? vbi eras? vt ſit ſatius perdere,
Quam aut hic nunc manere tamdiu, aut tum perſequi.

Hinc porro retorſiones retorſionum: quae naturaliter vetitae, & a prudente legislatore nunquam non vetandae ſunt.

Praeterea legislator ad coercendam licentiam contumeliarum plus indulgere laeſo poteſt, quam alias a natura tribueretur. Itaq; reſpectu communis tranquillitatis modi retorſionum, quatenus approbati publice ſunt, etiam aduerſus nobiliores, aut maiores dignitate, iuſte permittuntur. Item quoties tranſiliunt illi muneris forte ſui limites, vt in iudicio quoque propter contumeliam & maledicta conueniri queant. Propter *maledicta* dico: ſenſu Latinis ac bonis auctoribus recepto. ne forte in verbo argutias quaeras. Tunc vero in arbitrio legislatoris eſt, an per ordinarium iudicem; an priuatim iniuriam vindicari velit. Si expedit hoc reip. eccur non admittat? Sed expedit omnino. Nam multi eius formidine ab impetu conuiciandi retrahuntur: cumprimis vero ſi modus vindictae eſt ignominioſior.

Conſtat autem pronos nimium eſſe ad inferendas

iniurias, *qui videri poſſunt ex neceſſitate* (officii) *aliquid feciſſe : non iniuriae faciendae animo. Praeterea illi, qui ex bono & aequo ſecum actum iri ſperant.* Quare contra hos, ne modum forte caſtigandi ex liuore ac coeca rabie excedant, efficaciſſimum id remedium ſuppeditatur. Quae rationes magnificum Struuium valide tuentur. Nec primus ipſe aut ſolus iudicauit, contra magiſtratus inferiores ac praeceptores, iſtis caſibus dari retorſionem poſſe. Nihil iniquitatis etiam ex parte vindicantis ſubeſt, ſi non abutitur hoc iure. Nam publica & legitima auctoritate nixum, atque intra conceſſae poteſtatis conſiſtentem fines, immeritiſſimo accuſabis. Vtinam heic de Imperatore ac Statibus Imperii nihil agglutinaſſes. Ecquis enim vnquam in hos iniuriarum retorſionem dari ſtatuit? Narramus tibi (quid enim vtar circuitione?) VIR nobiliſſime: mirati ſunt conſultiſſimi iuris, & requiſiuere paulliſper tam in eo, quam in aliis iudicium tuum.

Ego vero deſinam plurium, poſtquam perſpicuum feci, vt oculis paene iudicari poſſit, quod alta tibi nocte obductum quaſi videbatur. Res igitur omnis, vt capitulatim nunc & manu in pugnum contracta, quae tot paginis docuimus, repetamus, huc redit. Retorſio iniuriarum prout hactenus a nobis explicata fuit, eſt vindicta priuata, neque defendendo neque vlciſcendo modum excedens, & per ſe naturali diuinoque voluntario iuri ac ſapientum ſententiis minime repugnans, a ſumma autem poteſtate legitimis ex cauſis permiſſa. Ergo retorſio iniuriarum, prout hactenus a nobis explicata fuit, neutiquam iniquitatis eſt accuſanda. Hanc ſententiam noſtram potentiſſimo tandem argumento fulcimus, ad Electora-

ctoralem Deciſionem, cuius initio ſtatim mentionem fecimus, te remittentes. Hinc ſibi quisque ex virorum conſultisſimorum ore, tanquam oraculo, ſentiendi iudicandique regulam petat. Namque nobis religio eſt, plura conquirere argumenta, & cofirmata dudum moribus ac legibus retorſione iniuriarum, ipſis nobis ſcribendi facere difficultatem. Quaerere de aequitate legum, antequam conſtitutae & approbatae ſunt, circumſpecti viri: receptas publice vocare in controuerſiam, a munere boni ciuis alienum ſemper prudentes duxerunt. Grauiter Auguſtus Caeſar: *Quisquis praeſentem ſtatum ciuitatis commutari non volet, & ciuis, & vir bonus eſt.* Rationem eius apud Dionem reddit: *Nam quae in ſuo ſtatu eadem manent, etſi deteriora ſint, tamen vtiliora reipublicae eis, quae per innouationem vel meliora inducuntur.* Quem igitur finem in argumento variis diſputationibus pariter agitato, commentationi de Foenore Dominicus Baudius fecit, eundem nos praeſenti diſquiſitioni dabimus: vt admoneamus omnes retorſionis noſtrae oppugnatores, velint cum Eprio Marcello MEMINISSE TEMPORVM, QVIBVS NATI SINT; QVAM CIVITATIS FORMAM PATRES AVIQVE INSTITVERINT: VLTERIORA MIRARI, PRAESENTIA SEQVI, BONOS MORES VOTO EXPETERE, QVALESCVNQVE TOLERARE.

(12)

Concluſio & breuis admonitio noſtra de compoſitis litibus non facile renouandis

nandis. Excuſatio iocorum, hinc inde ſparſorum.

Tandem igitur demandatas nobis partes recte, vt ſpero, atque exacte ſatis, quamuis praeter voluntatem prolixius exequuti ſumus. Confido autem excellentisſimos viros, quorum prudentiae atque conſiliis publicae rei negotia commisſa ſunt (fortasſis enim vel animi, vel tui quoque cauſa plagulas hasce inſpicient) diligentius expenſae veritatis teſtimonium nobis candide perhibituros. Quorum ego conſummato iudicio & exquiſitae doctrinae, vel in quibusdam ſatisfecisſe malo, quam ex obſcura diligentia illitteratum plauſum, vtvt vel maximum meruisſe. Tu autem, VIR nobilisſime, quin perlectis attentius litteris noſtris, conſilium tuum & tractatum tacito corde ſis damnaturus, nulli dubitamus. Neque enim ſine manifeſta iniuria tuae virtutis, & contumelioſa pertinacis ingenii ſuſpicione, licebit tibi ſtudium veri cunctisque expetitam boni viri laudem denegare.

Omnia ſane tibi cupimus, VIR nobilisſime, ac ſecunda precamur. Cuiusuis argumenti tractatione ad gloriam tibi tuam gradum facias: dummodo ne inuita laude eam ſtyli tui dignitatem putes, expuncta dudum & depoſita imis veluti ſepulcris excire. Qui ſi penitius recogitasſes initio, non nuper demum, ſed ante triginta iam annos illam *de Vindicta priuata* Disſertationem elucubratam, & nunc denuo exſcriptam typis fuisſe; non vt ingrederetur primum famam; ſed vt voluntati prenſantium ſeſe permitteret magnificus auctor, aliis felicisſimi ingenii monumentis iam diu illuſtris: nunquam profecto

lau-

laudatiſſima florentis aetatis meditamenta, tanto interuallo, & tám vaſto conatu oppugnasſes. Cui vt per ſingulas partes reſpondeamus, a nobis fruſtra expectabis: quos tantus ſcribendi pruritus non agitat, vt moleſtisſimo, & tandem ſuperuacaneo torqueri labore exoptemus. Haec autem ad te ſcripſi eo ſtylo, quo non recuſárem mea examinari ſi tuo loco esſem. Qui hinc inde interpoſui vrbaniuscule dicta: non vt transferrem affectus proprios in litteras; ſed vt varietate aliqua ſenſus delectarem. Neque vereri habebam, ne innocenti luſu aures tuas offenderem: quum tuis ex legibus grauisſimas quoque contumelias leniter fortique ſtomacho perferre debeas. *Iniquum eſt enim vt id exigas, quod ipſe praeſtare non poſſis.* Vale, VIR nobilisſime, & rem bene gere. Scribebam in illuſtri ad Salam Academia die XXVI Aprilis. A.R.S. Lactantius c. 23.

cIↃ Iↄc LXXV.

ANNO-

ANNOTATA.

PAg. 11. *A vindicatione, initium*] Eandem definitionem vindictae magnificus Struuius amplexus eſt in de Vindicta priuata, cap. 1, 5. Comprehendit ea generali ſuo conceptu tum propulſationem iniuriae, tum damni illati correctionem, tum etiam poenae inflictionem: vti ex aphoriſmo quarto apparet. In omni enim vindicatione ſaltem alterutrum horum occurrit. Hinc fruſtra ſane eſt Auctor Obſeruationum in Grotium de Iure belli & pacis, lib. II, cap. XX, 2, quando Struuianam definitionem ait *verbis a ſua diuerſam, re & obiecto eandem eſſe.* Vt enim demus ipſi, poenae inflictionem recte exprimi per *illationem mali paſſionis ob malum actionis*: nunquam tamen vel fidiculis adhibitis efficere poterit, vt haec vindictae ſpecies tantum a magnifico Struuio definita cenſeatur. Et hinc patet porro, quo iure calamum aduerſus ſententias eius ſtrinxerit: quibus pro lubitu mentem affingit ab auctoris verbis & ſenſu plane remotam.

16. *Idem affectus brutis animantibus*] Appetitum iraſcibilem brutis a natura datum eſſe, vt corpus ſuum ſuorumque aduerſus vim, quæ iniuriam infert, tueantur, ex Vlpiano Iureconſulto & Plinio Grotius docuit, laudati operis lib. I, 2, 3. Vlpiani verba, quae habentur L. I, §. 11. D. *Si quadr. pauper.* recte ſic explicantur: Occiſo ariete, qui alterum prouocauerat, ideo actionem domino denegari

gari, quod prouocatus aries non ſponte ſua, ſed concitatus ab alio nocuerit: hoc autem caſu non dandam actionem, quia ſic concitatum animal *ſecundum naturam, docentem ſe defendere, vim propulſauerit.* Concitatio enim eſt cauſa proxima; defenſio autem, cauſa remota. Itaque & heic nihil opus erat cenſura auctoris Obſeruationum. Nec iuuat ipſum, quod bruta non agant ex praeſcripto naturae, ſibi penitus ignoto: quum ſatis ad defenſionem ſit, inſtinctum naturae tantummodo ſequi.

17. *Pugnante inuicem amore tui & ſocii*] Eadem natura, quae ad ſocietatem colendam hominum animos impellit, ſuadet etiam vt ſocio amorem & officia humanitatis pro virili exhibeamus. Ceterum non imperat, vt quidquam eorum faciamus graui praeſentique noſtro damno aut periculo, quamdiu liberi adhuc; id eſt, quamdiu ad ea præſtanda verbis factisve nondum obligati ſumus. Hinc & recte ſtatuitur, neminem naturali iure adſtringi, vt alienam vitam ſuae ipſius periculo defendat: Grotius ad Matthaeum V, 40: *Ne in bonis quidem vitae huic ſeruientibus, ne inter amicos quidem per praecepti modum a nobis exigitur, vt aliis velimus eſſe ἄνεσιν, nobis θλῖψιν, vt Paullus loquitur II Corinth. VIII, 13. Cur igitur de vita aliud dicamus?* Adiiciantur quae idem lib. I, cap. II, 8, de Iure belli & pacis, nec non in annotatis habet. Veruntamen ne deſit auctori Obſeruationum, in quo magnis nominibus ſemet opponat, itaque *vix eſt*, inquit, *vt feram quod Struuius ſcribit, cap. IV, aphor. 3. Neminem alterius cauſa teneri ſe periculo exponere. Quid audio? Nemo tenetur alterius cauſa ſe periculis exponere? Nec ciues quidem & ſubditi principis atque reip. cauſa? nec princeps remp. &*

ciues

ciues ſuo cum periculo defendere? & cetera. Verum enimuero quis non videt ciues ac principem obligari non qua homines ſimpliciter aut ſocii, ſed qua ciues ſunt aut ſumma poteſtate gaudent; & vinculum illud neceſsitatis conuentioni vel tacitae vel expreſſae deberi? Quis autem ferat obſecro ſic argutantem? Titius, Sempronius, Maeuius ex contractu mutui, emtionis aut delicti aliis centum, vtvt non ſine damno ſuo, perſoluere debent: ergo natura in vniuerſum iubet, vt homo, qua homo aut ſocius alteri eadem, etiam cum detrimento ſuo ſoluat.

24. *Si quis magiſtratum habens*] An naturaliter liceat inferiori vim ſibi a principe ſuo illatam vi repellere, ardua & anceps controuerſia eſt. Grotius id variis argumentis negat, tum in ſecundo de Iure belli, cap. I, 9, tum annotationibus ad Matthaei cap. V, 40, & cap. XXVI, 52. Bachouius ad Treutlerum etiam occiſionem principis, qui latronis perſonam induat, ex iuſta & neceſſaria defenſione permitti ſtatuit. Bachouium aliosque Iureconſultos magnificus Struuius ſequitur. Huic denuo litem auctor Obſeruationum infert, ſed argumentis nondum ſane inuictis. Cum enim maieſtatis diuinae imago etiam ab extero in principe coli debeat: neq; illi fas erit contra iniuſtum aggresſorem neceſſaria defēſiōne vti. Obſequium principi debitū ad perferendas quasuis iniurias neutiquam porrigendum eſt. Licet igitur ſaeuitia & ſcelera principis neminem liberent omnino a ſubiectione & inde profluente obſequio: non ſequitur tamen exinde, ad mortem quoque iniuſte ſuſtinendam nos adſtringi. Princeps latronum more innocentes inuadens, nihil agit, quod ſibi vel vt principi vel vt homini fas ſit. Ergo nec

inferiori

inferiori natura, vel vt homini vel vt ſubiecto alterius poteſtati, neceſſariam defenſionem denegabit. Quare licite hoc caſu tuebimur corpus noſtrum, non qua inferiores ſumus, ſed qua homines: & contra principem, non quatenus ſuperior, ſed quatenus homo eſt. Poenam heic & defenſionem concurrere, dicitur tantum, nunquam probabitur. Imperium ciuile nemini per improbitatem ſuam auferri, vltro largiamur; ſed quid inde? Vt idem reſpondeamus, quod de ſubiectione per ſaeuitiam principis non ſublata diximus. Tandem non auctoritas, ſed ratio Iureconſultorum expendenda erat: quae vtique magni momenti, & ex media philoſophia depromta eſt. Haec breuiter ad contraria argumenta. Quae alias in vtramque partem diſputari poſſunt, non eſt huius loci, curatius excutere.

33. *Vindicta priuata per ſe eſſet illicita*] Vindicans omnis vel iurisdictionem habet, atque vt vulgo loquimur, perſona publica, vel priuatus eſt. Priuatus aut priuata auctoritate, aut per ſuperiorem ſiue perſonam publicam iniurias ſuas vindicat. Hinc diuiſio vindictae in publicam & priuatam enata: & quandoquidem regulariter publica vindicta in iudicio inſtitui ſolet, inde porro factum eſt, vt tota ratio priuatorum iniurias vindicandi iudicio terminaretur, vtque publica vocaretur, quae in iudicio; priuata quae extra illud exercetur.

Haec diuiſio ab omnibus recepta, nec a loco aut obiecto, ſed vere a vindicantium perſonis petita eſt. Quamquam vero illa quoque publica dici vindicta poteſt, qua perſonae publicae ſuasmet iniurias vel propulſant vel vlciſcuntur: quia tamen non contingit, niſi tantum ſub

propriae auctoritatis ſignificatu , vt priuatae nomine audiat ; quia etiam ratio nulla vrget , vt intuitu eius quae a priuato excercetur, publicam dicamus : hinc noluere eruditi de noua diſtinctione cogitare, adeoque verbis publicae ac priuatae vindictae vulgo eam intelligunt, qua priuatus, ſed diuerſis modis ſemet defendit aut vlciſcitur.

Haec ſi perpendisſet auctor Obſeruationum, nunquam in iſtum raptus fuisſet errorem vt ſcribere ſuſtinuiſſet, *omnes in eo longisſime ſibi errare videri, quod publicam vindictam iudicio terminent, priuatam vero priuata auctoritate.* Poteramus quoque carere nouo ipſius inuento, quo vindictam in publicam, priuatam & mixtam ad exemplum Grotii diſpeſcit, qui bellum in tria haec genera partitus fuit. Sed partitio haec docente Grotio, prima maximeque necesſaria, & ab aliis iam obſeruata erat. Iſta vero vindictae neque necesſaria, & a nemine quod ſciam, vnquam vſurpata eſt. In promtu etiam nobis ratio, quae illam non admittat. In bello enim occurrunt tam offendens quam vindicans: adeoque vtriusque haberi reſpectus debet. At vindicationis vocabulum ad vindicantem duntaxat pertinet, nec vllam causſam video, cur ratio diuiſionis ab eo etiam peti debeat, contra quem ſuſcipitur. Quisquis autem philoſophiam ac iurisprudentiam diſtinctionibus onerat haud necesſariis, non tam adiuuat quam confundit potius rudem atque incautum lectorem.

Regulariter illicitum esſe priuato, ſeu ei, qui alienae iurisdictioni ſubiectus eſt, vt ſua ſe auctoritate extra iudicium vindicet; vulgari ſententia ſtatuitur, & probatur

tur multis legibus eam prohibentibus; quibus obſequendum eſſe ipſa aequitas & naturalis ratio dictitat. Quid vero heic auctor Obſeruationum? Poſtquam produxerat nouam vindictae diuiſionem, & *priuatam* appellauerat illam, *qua patresfamilias, aut ii, qui ſub nullius imperio ſunt, inter ſe inuicem vtantur:* ſubiicit: *Atque hanc vindictam* (de qua nemo cogitare poterat, antequam naſceretur) *regulariter iuri naturali aduerſam eſſe, communis eſt ſcriptorum concluſio, ex erroneo nata praeſuppoſito, quaſi ea opponatur ordinario iudiciorum proceſſui.* Sed quis obſecro velit talia refutare? Quod etiam admodum adhuc addubitat, *vtrum vindicta priuata, vt Struuius definit, contra ius naturae ſit;* in eo his, puto, rationibus liberari ſcrupulo ſuo poterat. Certum eſt pauciſſimos eo intellectu valere, vt exacte perſpiciant, quantum permittere ſibi in alium debeant vindicando; multoque pauciores, etiamſi illud videre queant, nimio ſui amore abreptos, ſequi dictamen ſanae rationis. Deinde conſtat, nimium quantum turbarum in ciuili ſocietate fore, ſi laeſo cuique vindictae libertas relinquatur: praecipue reſiſtentibus qui malum aut minantur aut dederunt. Vult itaque natura ſiue Deus, vt per alium potius iniurias vindicemus, qui & velit & poſſit legitimis modis nos noſtraque tueri atque amiſſa reſtituere. Cum porro ſuperior omnis & imperio gaudens, in cauſſa ad ſe non pertinente, non tantum velle id praeſumatur, ſed etiam propter poteſtatem coercendi vnus omnium optime poſſit: hinc ad ipſum a DEO transferri ius vindicandi, non obſcure colligitur. Recte itaque ſuperior id ipſum ſibi vindicat: quod extra has cauſſas facere poterat, vi ſolius imperii, a natura ſibi tributi,

quoque actionibus ſibi ſubiectorum limites certos licite ponit. Exercet autem hoc ius in ſibi ſubditos non tantum qua nemini paret, ſed potisſimum qua illis imperat: quia ſubiectio id ius ſubditis abſtulit. Sed aduerſus extraneos, ſiue liberos a ſuo imperio homines, vtique non alia ratione aut ſuas aut aliorum iniurias vindicat, niſi qua nemini paret.

Ceterum quoniam non perpetuum eſt, vt priuatorum iniuriae per ſuperiorem vindicari posſint ac debeant, & rariores tamen caſus ſunt, quibus vindicta priuata concedi debet: hinc regulariter eam illicitam ſtatuunt: quia nimirum vtplurimum prohibetur. Quod in moralibus tam diuinis quam humanis praeceptis frequentisſime contingere, vel pueri norunt. Quaecunque autem cauſſa ſit caſum aliquem a regula eximendi, nihil refert. Sufficit enim niſi talis ratio adesſet, vtique ſub verbis generalibus eum comprehenſum iri.

Quae auctor Obſeruationum de exceptionibus praeceptorum iuris naturalis prodit, itemque de imperio iuri naturali ignoto, ea profecto ἄῤῥητα ἀμυήτοις. Merae enim λογομαχίαι ſunt, perindeque nobis exiſtimabitur, ſiue quis dicat per modum exceptionis, ſiue alia ratione caſum aliquem a regula excludi: modo res ipſa manifeſta ſit. Si etiam ius naturae ignorat imperium; id eſt, ſi nulla naturali lege cuiquam a Deo ius imperii tribuitur; ſi neque filium, neque ſeruum, neque vxorem iubet obſequi parenti, domino, marito: ſane tot populi cultisſimi, tot ſapientisſimi viri immane quantum tardi ac hebetes fuere, qui perpetuo conſenſu docuerunt, ſi quae naturalis ratio etiam pueris & ſtupidioribus dictaret, vt nulla reue-

reuelatione ſupremi numinis opus eſſet, haec iuris naturalis cenſeri debere.

Nimis profecto iam inuidioſum & aulicorum praecipue voculis obnoxium eſt iuris naturalis ſtudium, quod a multis ſine iudicio ſine eruditione tractetur, & inutilibus atque friuolis argutiis corrumpatur. Quid ſi abuti vocabulis & contra vſum diu probatum detorquere in alium ſenſum, atque excutiendis tantum *terminis* occupari incipiamus? Sic videmus quibusdam iacturam temporis tam vilem eſſe, vt impugnandis ſententiis conſenſu eruditorum firmatis illud terere, atque vel hac via in ora populi laborent venire.

59. *Electoralem Deciſionem*] Verba Latina Deciſionis LXXXV, cui titulus, *An in cauſſis iniuriarum verbalium Retorſio locum habeat*, iſta ſunt. „In noſtra Conſtitutione & noua Ordinatione Politica pluribus „prouiſum eſt, qua ratione malitioſe & temere alios iniu- „riis afficientes ſeuere puniendi ſint. Quae omnia nos de- „nuo quoque infallibiliter obſeruari volumus. Quia vero „Dd. in ea quaeſtione, An grauatus & iniuriatus iniurianti „iniurias euomitas oraliter aut in ſcriptis retorquere que- „at? non conſentiunt, dum quidam hoc, ceu mere pro- „hibitam vindictam priuatam improbant, ceteri vero pro „licito defenſionis medio & honoris ſaluatione vendi- „tant; quo remedio ſaepiſſime magna temporis & ſumtu- „um iactura, qui in actionibus & proceſſibus iudicialibus „impendendi ſunt, euitari poteſt: Eiuſmodi in iure con- „ceſſae retorſiones in terris noſtris quidem permiſſae ma- „nento; non tamen aliter, quam ſi fiant in continenti, aut „quamprimum iniuriatus audit & comperitur, ſe in ab- „

„ſentia ſua iniuriis eſſe affectum , ſique citra exceſſum, „cum moderamine quodam inſtituantur, hocce vel ſimili „modo: Vt id, quod alicui imputatum eſt, negetur, quod „iniurians inique & praeter meritum egerit, aut quod, „ceu homo malae famae veritatem praetermiſerit,ac econ- „tra mendacium protulerit: Aut, quod eum tam diu pro „eiuſmodi homine agnoſcat, pro quali ſeſe diffamarit, do- „nec diffamationem probaſſet. Si ergo pars iniuriata non „nouas iniurias protulerit, nec iniurias cum iniuriis cu- „mulauerit, tali caſu retorſio in ditionibus noſtris prohi- „bita non eſt & qui hoc remedio vtitur, honorem ſuum „defendiſſe credendus eſt. RETORSIO vero RETORSI- „ONIS, ſi retorquens dictis in terminis permanet, locum „habere non debet.

Multo plura habebamus, quibus noua haec Epiſtolae noſtrae editio locupletior prodiret. Sed inſtantibus nundinis vel inuiti abrumpimus, alia occaſione, quae nunc parau eramus, repraeſentaturi.

FINIS

CORRI-